FRIDERICI LOSSII

Heidelbergensis Palatini

Præstantissimi Medici CONCILIORUM:

SIVE,

De Morborum Curationibus.

Liber Posthumus ipsi Authori, dum in vivis, admodum æstimatus.

LONDINI,

Apud *Awnsham Churchill*, Bibliopol.
ad Insigni *Nigri Cigni* juxta *Amen-Corner*,
MDCLXXXIV.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Index Conciliorum

Omnium in hoc LIBRO contentorum.

Concil. *pag.*

1. VErtigo, Vomitus, & Ventris dolores, cum Tumore in dextro Hypogastrio. 1.
2. Pro juvene quodam studioso in affectione Hypochondriaca, cum variis symptomatibus. 5.
3. In Melancholia Hypochondriaca, cum rationis perturbatione, pro Viro nobili. 18.
4. In Arthritide vaga, pro viro quodam reverendo. 26.
5. De modo bibendi Aquas minerales vitriolatas in arenulis, pro reverendo quodam Sene. 32.
6. In lumbricis cum febri & variis accidentibus in filiolo Reverendi cujusdam Viri. 38.
7. De chalybe ad Virum quendam reverendum verbi divini ministrum, Hypochondriaca affectione laborantem cum Vertigine. 45.
8. In dispositione Phthisica à Catarrho, pro nobili Viro ad Medicum ejus. 49.
9. In Phlegmone Erysipelatode in Viro quodam reverendo. 52.
10. Pro eodem Viro in alia Phlegmone. 55.
11. Pro puero tussi ferina & suffocativa laborante

4 H H 2

Concil. *pag.*
rante ad Reverendum patrem ejus. 57.
12. In Asitia matronæ cujusdam ad reverendum maritum ejus. 60.
13. In viscerum obstructionibus cum Catarrho & Tussi, pro Matrona quadam ad maritum ejus. 65.
14. Ad juvenem quendam studiosum in Phthisi. 68.
15. Ad virum quendam doctum superato gravi & diuturno morbo. 71.
16. In Scorbuto ad virum quendam reverendum pro conjuge ejus. 75.
17. In Phthisi accedente lithyasi, pro viro quodam reverendo, verbi divino ministro. 79.
18. Pro nobili quadam Heroina in dolore ventris & vomitu à pastu, succedentibus motibus convulsivis ad Medicum ejus. 82.
19. In Scorbuto pro nobili Fœmina ad maritum ejus exaratum. 85.
20. In Tumore testiculi Viri cujusdam, ad Medicum ejus. 90.
21. In calculo pro amico quodam Medicinæ haud ignaro. 94.
22. Pro puella quadam Cachexia Scorbutica laborante, ad Reverendum patrem ejus. 98.
23. Ad nobilem quendam V. de Chalybe. 102.
24. In Phthisi pro juvene studioso. 104.
25. In Bubonibus ad V. quendam nobilem. 113.
26. In Achoribus & alvi fluxu pro puerulo quodam ad nobilissimum parentem ejus. 118.

Concil: *pag.*
27. In Scorbutico quodam Viro ab inappetentia de ſingultu gravi querulo. 122.
28. Pro juvene quodam à tertiana notha liberato ad obſtructiones recidivam minantes tollendas. 126.
29. In obſtructione menſium puellæ, & vomitu gravidæ cujuſdam Matronæ. 128.
30. In virgine quadam Chlorofi laborante, ad patrem ejus nobiliſſimum. 130.
31. Pro gravida in dolore lumborum & Hypogaſtrii, nec non pectoris tenſione ad Reverend. maritum. 134.
32. In Catarrho & Lippitudine, pro viro quodam reverendo. 136.
33. Pro ſpectabili quodam Viro in ulcere Fiſtuloſo inteſtini recti ad Medicum ejus. 138.
34. Pro nobili quodam Viro in Hydropica cachexia cum Scorbuti complicatione. 144.
35. In Lipothymia Scorbutica à primo ſomno invadente ad V. quendam reverendum. 150.
36. Pro eodem Viro reverendo. 155.
37. In fluxu alvi Scorbutico, pro viro quodam reverendo. 157.
38. Pro puerulo quodam in quotidiana notha ad Medicum ejus. 160.
39. In aquæ potu pro viro quodam reverendo in ventriculi aciditate. 164.
40. In urina cruenta cum lumborum & capitis interpolato dolore tuſſicula pro viro quodam ſpectabili. 167.

Concil. *pag.*
41. Pro Viro quodam nobile in pituitoſa materia bronchiis pulmonum impacta cum tuſſi ad filium ejus. 171.
42. In impetigine pro nobili puero ad Medicum quendam. 175.
43. Ad virum quendam reverendum molle quoddam & concavum corpuſculum inſtar ſeminis Cucurbitæ cum urina rejicientem. 180.
44. In quartana Febri proV. quodam rev. 184.
45. In puellula ad Epilepſiam prona ad reverendum patrem ejus. 185.
46. In affectu Aſthmatico ad juvenem quendam ſtudioſum. 191.
47. In pollutione nocturna, qua Pilularum adſtringentium uſu alvus commota, ad virum Reverendum. 196.
48. In Cachexia hydropica ad Anſarçam vergente, pro matronâ quadam, ad Medicum ejus. 198.
49. In fluxu Hepatico, & Gonorrhea, ad Virum quendam reverendum. 202.
50. In capitis gravitate, Aurium abſceſſu, Tuſſi & Anhelitus difficultate & aliis malis, pro Viro quodam reverendo. 208.
51. In Aphtis pro puella quadam ad nobilem parentem ejus. 212.
52. De uſu infuſionis Rhabarbari in corpore cachectico ad Medicam quendam. 217.
53. Ad amicum quendam de potu matutino 220.

Concil. *pag.*
54. In Hepatis & Renum calore pro viro quodam reverendo. 224.
55. In vermiculis è veſica cum urina excretis à viro quodam ſpectabili. 228.
56. Ad juvenem quendam ſtudioſum cui Nicotianæ fumum diſſuaſeram. 231.
57. Ad virum quendam reverendum, cui omnes liberi mox à partu convulſivis motibus correpti periere. 236.
58. In Hypochondriaca affectione ad Scorbutum proxime accedente ad virum nobil. 239.
59. In Ramice, pro viro quodam reverendo. 245.
60. In Catarrho cum Tuſſi ad Phthiſin inclinante, pro matrona quadam ad Medicum ejus. 249.
61. In Myopia, ad virum quendam nobil. 252.
62. In flatu Hypochondriaco, cum Colica & Hæmorrhoidum fluxu. 259.
93. In veneris ignavia pro viro quodam ornatiſſimo. 263,
64. In potu aquarum Thermalium ad reverendiſſimum quendam Doctorem. 268.
65. De inſtituenda proba victus ratione, ad Reverendum quendam Theologiæ Doctorem. 282.

Concil. 215.
54. In Hepatis & Renum calore pro viro quodam reverendo. 224.
55. In vermiculis, è vesica cum urina excretis à viro quodam spectabili. 228.
56. Ad juvenem quendam tuberosum cui Nicotianæ fumus diffluaferos. 231.
57. Ad virum quendam reverendum, cui omnes liberi mox à partu convulsivis motibus correpti periere. 236.
58. In Hypochondriaca affectione ad Scorbutum proximè accedente ad virum nobil. 239.
59. In Ramice, pro viro quodam reverendo. 245.
60. In Catarrho cum Tussi ad Phthisim inclinante, pro matrona quadam ad Medicum ejus. 249.
61. In Myopia, ad virum quendam nobil. 252.
62. In Sanguinis Hypochondriaca, cum Colica & Hæmorrhoidum fluxu. 259.
63. In venetis ignavia pro viro quodam Genuensi. 263.
64. In Dolore quodam Thermalium ad reverendissimum quendam Doctorem. 268.
65. De instabilitate proba victus ratione ad Reverendum quendam Theologiæ Doctorem. 282.

Concilium I.

Vertigo, Vomitus, & Ventris dolores, cum Tumore in dextro Hypogaſtrio.

Magni in Morborum Curatione momenti eſt, eorum cauſas probè cognitas habere, ut quibus incognitis, aut non perpenſis nec rectè cognoſci Morbus, nec curari ullo pacto poteſt. Quicquid ſuſpicionis Tibi moverit Medicaſtra illa, de qua in literis tuis, durius forſan tractans ventrem ægræ, ut pro more muliercularum curioſularum uterum falſo ſuo loco motum reſtitueret; ut factum ejus minimè probo, ita criminis, de quo accuſatur, neutiquam eſſe ream judico, & puto me evidentes ſatis poſſe in medium proferre cauſas ſymptomatum, quibus miſella illa Matrona, proh dolor! miſere conflictatur, vertiginoſi putà affectus, ventriculi ſubverſionis, crudelis inteſtinorum & lumborum lancinationis, & ipſius etiam tumoris oblongi, duri, indolentis,

dolentis, alte quidem abſconditi, ſed manu tangentis palpabilis, quem in dextra Hypogaſtrii parte deorſum tendentem, ſubortum, moleſto pondere ægram, diuturna febri exhauſtam, gravare ſcribis. Ordinaria ſunt & in praxi mea ſæpe ſæpius mihi obvia hujuſmodi poſt febres chronicas accidentia, in quibus tanta interdum accumulatur in corporibus cacochymis ſupervacaneorum humorum colluvies, ut deſtinatis à natura receptaculis tota excipi haud poſſit. Imprimis vero ab hepate, liene & ventriculo, natura horum viſcerum ſaluti conſulente, non parva ſuperfluentis portio in vicinas quoq; ſedes amandatur, vel ſponte ſua illabitur, maxime quidem in pancreas & meſenterium, quæ totius corporis veluti ſentina ſunt & plurimorum graviſſimorumq; morborum fœcundi parentes exiſtunt, unde & Meſenterium Medicorum nutricula á nonnullis nominatur. In hac ſane Matrona, quam Deus opt' max' marito optimo quàm diutiſſimè ſalvam & ſuperſtitem eſſe velit, magnis utriuſq; bilis & pituitæ proventus à febri diuturna reliquus, cum forſan non eſſet tempeſtive expurgatus, à natura è jecore & liene per eos venæ portæ ramos, qui non in inteſtina, ſed in meſenterium deſinunt, detruſus eſſe videtur. His locis, glandulis luxuriantibus, humores aggregati, primo mollem; deinde ſicceſcentes, renitentem, durum & fere ſcirrhoſum tumorem, qui vix ſuppurationi obnoxius erit ob caloris interni remiſſionem, ingeneraſſe vero ſimile eſt.

Ab

Ab hoc meſenterii infarctu & vaporibus inde in ſacram Palladis arcem elatis, reliquorum ſymptomatum ratio facile reddi poteſt, ut non ſit opus particulari eorum deductione. Nonnullos vomitu ſpontaneo ſuborto reſpiraſſe vidi, perpaucos verò curatos, quibus tumor in abſceſſum degeneravit. Qua de cauſa minimè probare poſſum maturantia à te externe applicata, ut foras ad cutem promoveatur apoſtema, quod dictu facile, ſed factu difficile, ſi non omnino impoſſibile. Quodſi Matrona hæc meæ ſolius induſtriæ commiſſa eſſet, præparato bene ex artis lege corpore cum radicibus aperitivis, adjectis hepaticis & ſpleneticis, in quorum cenſu Cichorium & Chamæliis facile primas tenent, purgarem eam per epicraſin lenientibus & quæ vim habent viſcera reſerandi, poſtea vero ad chalyteata accederem, in quibus, meo quidem judicio, totius curationis cardo verſatur. Ferreo ſeculo, ferrearum ægritudinum feraci, ferreis præſidiis litandum. Non te latet miram eſſe hujus metalli facultatem, & in domandis morbis admiranda pollere poteſtate. Habet enim magnam penetrandi vim. Nam & aperit & incidit atq; attenuat, deobſtruit etiam & ab infarctu reſerat, mirum certe auxilium in meſenterii obſtructionibus & viſcerum quoq; tumoribus abſumendis. Quid, ſi hujus remedii vires experiatur? Non tamen in ſubſtantia, in qua vigor innati caloris requiritur, ſed Syrupi, liquoris aut vini forma porrigerem. Mihi longo uſu comprobatum eſt

vinum ethilybeatum magiſtrale à magni nomi-
nis Medico mihi communicatum, cujus quia
te amo, hanc à me habe deſcriptionem. ℞.
Radic. ſiccar. Oxylapath. ℥ij. Rad. Cichor.
Chelidon. major. Rubiæ tinctor. Cortic. radic.
Tamaric. Cort. median. Fraxini, linguæ avis
ana ℥j. Cort. rad. Saſſafr. Flavedinis citri ſicci
ana ℥ß. folior. ſiccor. abſinth. utriuſq; Meliſſæ,
Menthæ ana ℥v. fol. Eupator. Meſues; Vero-
nicæ maris, Chamædr. Chamæpyt. Fumar. Ce-
terach. ana ℥vi. Flor. hyperic. Geniſt. hiſpanic.
Calendul. aⁿa ℥iijß. Caryophyl. Macis, Cina-
mom. ana ℥ij. Cor. Winteran. ℥j. Croci Martis
aperientis, id eſt, limaturæ ejuſdem puriſſimæ
cum Sulphure in crucibulo calcinata, ℥viij.
Commixta omnia irrorentur ℔ij. vini Cana-
rini optimi,& fiat per noctem maceratio. Mox
affunde vini albi Gallici optimi ℔viij. Recon-
dantur vaſe ſive amphora lapidea forti, quæ
ſubere & veſica bubula fideliter clauſa pone
furnum piſtoris collocetur & agiteṭur per dies
xii. ante uſum. Incipiendum ab ℥jß. aſcenden-
do ad ℥iiij blandas purgationes intermiſcendo.
Si ab ejuſdem uſu ad ſubſtantiam ſolidam pla-
ceat Tibi tranſitus, uti poteris Sacharo Martis,
in quolibet liquore ſolubili. Interim tumorem
extrà foverem decocto mihi in caſibus hujuſ-
modi familiari, Aſni puta, Cortic. Mediani
ulmi, radicis Bryoniæ utriuſq; rad. Ebuli. Fo-
lior. ſambuci, hyoſcyami, camomillæ, meliloti.
Seminum lini & fœnugræci, & deſuper im-
ponerem Emplaſtr. ex Cicuta cum Ammoniaco,

addito

addito lapide pyrite in alchool reducto. Quod ſi huic emplaſtro portionem aliquam Mercurii crudi adjeceris in reſolvendo tumore efficacius evadet. Toto vero curationis decurſu alvus ſemper fluida ſervetur, ut humores ad reſolutionem ſint paratiores. In quem finem pilulæ ſtomachicæ cum gummis, vel aliæ quæ ex Ammoniaco parantur, quales ſunt Bontii, egregie conducent. Siquidem Ammoniacum in emolliendo, vel Galeno teſte, omnibus aliis palmam præripit, ſive intus exhibitum, ſeu externe applicatum. Interdum etiam Enema emolliens iniici poterit, ne natura uni aſſueſcat. Interim obſervanda proba victus ratio, alias ne hilum quidem profecerit ægra. Cibus ſit boni ſucci, facilis concoctionis & temperatus, non craſſus, nec viſcidus, multo minus acidus aut dulcis, ſit etiam acrimoniæ expers, cujus minutias, Tu, qui præſens, facile præſcripſeris. Plura adjicere ſuperſedeo, ne Minervam inſtruere velle videar, dum meam ſaltem curationis methodum Tibi proponere ſtudeo. *Vale.*

Concil. II.

Pro juvene quodam ſtudioſo in affectione hypochondriaca cum variis ſymptomatibus.

TRaditæ mihi ſunt dextro Mercurio literæ tuæ gratiſſimæ, gratiores futuræ, ſi

Te commoda valetudine uti significassent. In iis varia refers, Vir ornatissime, eaq; non contemnanda symptomata, quæ ergastulum tuum male obsident, sed quæ omnia in unius ejusdemq; affectus significationem concurrunt & jam longo temporis defluxu prima originis suæ rudimenta habuisse videntur. Anorexia, concoctionis labefactatio, vaporum à pastu in sacram Palladis arcem exhalatio, oculorum caligo, hypochondrii sinistri inflatio, flatuum copia, lumborum calor, ventris & tibiarum à pastu dolores, & reliqua maleferiatorum symptomatum caterva, de quibus in literis tuis querelam instituis, omnia melancholiam in corpore tuo luxuriare demonstrant, non eam quidem primariam, quæ per idiopathiam cerebri fit, sed alteram, quæ præcordiorum sympathia suscitatur & quam ideo à situ theatri, in quo tot & tantæ tragœdiæ efferveſcunt, hypochondriacæ nomine insignire solent Medici. Ejus vero continentem causam assigno non quidem naturalem melancholiam, quæ fæx est sanguinis, sed alteram retorridam & adustam, quæ ex præassata bile citrina progignitur, & quam practici atræ bilis nomine distinguere solent. In hoc affectu ut plurimum Hepar fervidum crassiorem sanguinis fæcem per ramum splenicum porta amandat in spongiosum lienis parenchyma, in quo non emendatur, imo exacerbatur efferus iste humor rarefactus per fermentationem spirituum cum salinis substantiis permixtorum, quæ ebullitio hypochondriacorum

fæ-

sæviſſimas excitat tragœdias, prout varias affi-
cit partes diſtendendo ventriculum, concocti-
onem perturbando, flatus gignendo, ventris
nec non tibiarum dolores, vaporum inde
tranſmiſſorum merito inducendo, ſed & venas
ſedis acrimonia ſua ſtimulando, unde moleſtus
pruritus, de quo in literis tuis. Etſi vero cura-
tu difficillimum ſit hoc malum, ex varia af-
fectuum præter naturam idæa conſarcinatum
& alte radicatum, ſæpe etiam toto vitæ curri-
culo perſeveret, quod curatio non ſatis felici-
ter in multis ſuccedat, idq; variis de cauſis;
attamen cum graviſſimi ſæpe morbi ægrorum
patientia & ſapientia, Medicorum vero peri-
tia & ſedulitate præter opinionem ſuperentur,
age videamus, utrum adſpirante feliciter Apol-
linis numine, ſi non penitus Te liberare, ſaltem
affectum hunc graviſſimum aliquo modo ener-
vare valeamus. Et quoniam morbi hujuſmodi
chronici & ſaturnini ex Medicorum decreto
victu potius ex artis lege inſtituto, quam
longo & tædioſo medicamentorum apparatu
tolluntur, enitendum Tibi ſedulo erit, ne quid
in hoc erroris committas, ut quo ſolo Galenus,
Medicorum coryphæus, multos ſeſe Melancho-
licos priſtino vigori reſtituiſſe gloriatur. Vi-
tanda itaq; omnia in genere, quæ calidam vi-
cerum intemperiem ratione cauſæ antecedentis,
enervati ventriculi frigidam reſpectu conjunctæ
adaugere, & flatibus producendis materiam
præbere apta nata ſunt. Nec tantum inæquali-
tas viſcerum corrigenda, ſed & obſtructiones

aperiendæ, atq; præparati debite & ſufficienter peccantes ſucci per varia naturæ emunctoria evacuandi. Aër itaq; ſit temperatus, nonnihil ad humidum calidumq; vergens, non tamen æſtuoſus aut plus juſto udus & madidus, qualis Auſtro flante ſolet eſſe, unde ſcite admodum ab Hieronymo pluviarum pincerna nominatur, capite maxime noxius. Venerandi noſtri è Coo Senis ſuffragio 4 Aph. 3. Auſtri auditum hebetant, caliginem inducunt, caput gravant. Aër vero mutetur crebro: Id quod Medici obſervant mirum in modum juvare melancholicos, præſertim juvenes, qualis Tu es. Cibus ſit euchymus, concoctu facilis, cuiq; in probum vertatur ſanguinem, minime excrementoſus aut flatulentus, à mediocritate nonnihil ad teporem & caliditatem declinans, qui nec lentore, multo minus ſiccitate, melancholicis adverſa, aut craſſitie meatus obſtruat, aut calore excedente bilem præaſſatam acuere queat, iſq; potius elixus, quam aſſus. Hic enim facilius concoquitur, & in corpus diſtribuitur, & humidius præbet alimentum. Carnes petantur ex quadrupedibus domeſticis junioribus, agninis, vitulinis, vervecinis. Vitandæ vetuſtæ, viroſæ, duræ, præpingues, fumo induratæ, & quæ muria aſſervatæ contabuerunt, aut ſale & aromatibus affluunt, imprimis ſuilla, bubula vetus & ferinæ omnis generis, quæ Galeno teſte, melancholica proritant ſymptomata. Jurulenta modeſte abſorpta multum commodant, ubertim vero ingurgitata fluctuationem &

cruditates

crudi tates efficiunt. Ex volatilium cenſu præ-ſtant phaſiani, perdices, attagenes, & id genus avicularum, quæ in montibus, ſylvis, ſepibus & locis campeſtribus victitant. Repudientur ſeneſcentes, & quæ in paludibus & aquis degunt, ut anates, anſeres, & ejus generis aliæ. E domeſticorum tribu laudantur pulli, gallinæ noſtrates & Numanticæ, atq; capones. Damnantur galli veteranei. Inter piſces probantur ſaxatiles, & qui teneris præditi ſunt carnibus, quales ſunt qui à maritimis ſcopulis, inter quos alti & capti, πετραῖοι dicuntur, non vero qui in arenoſis fluminibus inter ſaxa degunt. Hi enim fluviatilibus ſunt longe ſalubriores. Siquidem falſus æquoris liquor, & fluxus inter ſaxa colliſio, illorum viſcidum mucorem & attenuat & digerit. Deteſtandi qui in ſtagnis & paludibus atq; fluviis limoſis ac turbidis vivunt. Nam minus natant, aereq; & victu deteriori utuntur; in horum cenſu ſunt anguillæ & alii. Vitandi ſaliti ſole etiam & fumo ſiccati, nec admittendi cancri, oſtreæ, conchylia & id genus oſtracodermorum, quod glutinoſas habeant carnes, & difficulter concoquantur. Ex cerealibus coducit hordeum depilatum, brodio pulli vel capi dilutum. Nutrit enim, humectat, humorum acrimoniam obtundit & viſcerum calorem temperat. Oryza quoq; in jure pulli ad lentorem uſq; cocta probatur. Tollenda è medio piſa, fabæ, & reliqua legumina. Ova gallinarum recentia bona ſunt, dura vel in butyra frixa, aut quovis alio modo aſſa, noxia exiſtunt.

Sunt

Sunt enim coctu difficilia, & nidorosas excitant eructationes. Lac facile putrescit, & flatus generat, capiti quoq; infestum, quemadmodum & lacticinia quævis. Obest quoq; caseus, præsertim vetus & eatiosus. Nam in corpore excalefactus, si Galeno fides habenda, atrabiliarium facile parit humorem. Fructus fere omnes corruptioni & putredini sunt obnoxii, præsertim ubi secundis mensis, ingesto jam priori cibo, devorantur, quod in his regionibus fieri consuevit. Concedi possunt pruna damascena, passulæ corinthiacæ, cappares cum triente passularum missæ, poma etiam odorifera acido dulcia, quæ quovis modo instructa in hoc affectu in usum assurgunt, & non tam alimenti, quam medicamenti vicem gerunt. Conceduntur etiam mala aurantia, pyra quoq; quæ grato sapore palatui arrident, & cotonea mala sub prunis cocta, vel sacharo condita, vel carui semine conspersa, à pastu comesta, eo quod ventriculum roborent & vapores caput petentes reprimant. Olera præter borraginem, buglossum, Melissam, Cichorium, portulacam & pauca alia omnino sunt fugienda, præsertim brassica, quemadmodum & radicum ferme omnia genera, cum primis bulbosarum. Siquidem flatibus turgent, quædam etiam acri suo succo sanguinem & jecur inflammare & propemodum adurere apta nata sunt, ut cæpæ, allium, raphanus, quibus & sinapi annumeratur ad intinctus mensæ apponi consuetum. Prosunt tamen asparagi, & verno tempore Lupulorum

pulorum germina, ſanguini expurgando dicata. Embammatum loco ſint Naſtrurtium aquaticum, Cochlearia, Acetoſa, & ejus farinæ alia: Saccharia uſus parcus, ut & Butyri, atq; Aceti, quod *Galenus* melancholicis adverſiſſimum eſſe ſtatuit: Refringendum itaq; uvis paſſis, in eo infuſis. Panis ex pura & minime corrupta tritici farina conficiatur. Nam qui ex ſiligine paratur, vel ſubfurfuraceus exiſtit, turbidum & melancholicum generat ſanguinem. Uterq; habet aliquid lentoris & viſciditatis, & niſi vel ſale, vel fermento, vel utroq; corrigatur vitioſus eſt & obſtruentis naturæ, præſertim ſi non fuerit bene coctus. In potu diſplicet mihi Cereviſia, quæ craſſum turbidumq; generat ſanguinem. Sed in hac re conſuetudini, cujus vi naturæ leges frequenter evincuntur, aliquid dandum. Eligatur itaq; mediocris, bene defæcata, non craſſa, nec acida. Huic præfero vinum album, tenue, non potens, ſubdulce. A craſſis, potentibus & turbidis abſtinendum. Præterquam enim quod melancholicum generant ſanguinem, jecur accendunt & cerebrum lædunt. Sunt qui Pomaceum commendant, ſed mihi non probatur. Nam flatus generat; & in ventriculo aceſcit. Largior inter cibum potus damnatur. Cibi ſiquidem fluctuationem, rugitus, & cruditates excitat. Pomeridianus quoq; coctioni obeſt. Si ſitis urget, fallenda pomi aſſati eſu aut ſimilium. Sed hæc de cibi potuſq; minutiis ſatis, in quibus largior fui, quod Tibi, ut ſcribis, deſint Practici, unde

talia

talia promere queas; cavendum saltem ne proborum quoq; ciborum plus ingeras, quam par sit, & ventriculus rite conficere valeat, ne cruditates generentur. Abhorrendum etiam τὸ ποικίλον τῆς ὄψεως, luxuriæ supplicium & flagitiorum obsonium à *Basilio* scite admodum nuncupatum. Præstat ex multis, quæ apponuntur, eduliis, unum aut alterum, quæ cæteris meliora sapidioraq; fuerint, eligere, & cætera aliis relinquere. Potus quoq; sit cibo commensuratus, ne cibus in ventriculo fluctuet, unde caput vaporibus repletur & concoctio perturbatur. Fugiendus quoq; potus matutinus, quo utrumq; oculum multi lavare solent. Alvus indies officii sui admoneatur, quæ si segnior fuerit, proritetur vel Prunis dulcibus siccis in vino albo decoctis, & saccharo aspercis, vel prunis Damascenis, in aqua fontana, donec intumescant, maceratis & exempto nucleo ante coenam devoratis cum quatuor aut quinq; integris piperis granis, vel esu Cassiæ mox ante prandium, idq; è canna. Quodsi adstrictio fuerit pertinacior, uti poteris Enemate ex jure carnium adjecto saccharo & salis momento; vel hujus loco Pilulis diatartareis *Fonsecæ*, semidrachmæ vel duorum scrupulorum dosi per horam ante cœnam devorandis, quæ etiam obstructiones, quas in Te plurimas deprehendo, reserare & humorem melancholicum sensim expurgare & contemperare perquam sunt accommodatæ. Exercitia moderata vacuo ventriculo, alvo & vesica exoneratis, instituantur, quæ corpori robur

robur addunt, nativum calorem ſuſcitant, meatus laxiores redduut, & cruditates atq; excrementa diſſipant. Cavendum ab immoderatioribus, quæ bilem augent & calidos affectus producunt. Multum Tibi incommodat vita deſes & ſedentaria, pituitæ, defluxionum & obſtructionum fæcunda mater. Interim nullum exercitium à cibo ineundum, ut quo alimentum, ante concoctionem in viſcera raptum, cruditates accumulat. Exerceatur vero corpus donec intumeſcat floridumq; appareat, motus prompte & æqualiter edat, ſudoremq; cum calido vapore miſtum exudet. Somnus ſuſcipiatur duabus vel tribus à cœna horis, nunquam interdiu, decumbendo primum ſuper dextro latere, peracto primo ſomno ſuper ſiniſtro incumbendum; fugiendus vero decubitus ſupinus, ne renes incaleſcant. Somnus ſit moderatus, ſeptem non excedens horas. Vigiliæ melancholicis, ut ſunt frequentes, ita peſſimæ, Animi quoq; pathemata, Ira maxime, Mœſtitia & Timor ad anticyras ableganda. Ira quippe bilem movet. Mœſtitia corpus refrigerat, calorem innatum extinguit, concoctionem impedit. Timor vero ſpiritus diſſolvit. Interim modeſtæ hilaritati indulgendum. In reliquis aurea mediocritatis regula obſervanda. Et hæc ſufficiant de ſex rebus non naturalibus, Medicis ſic dictis, quæ ſub diæta comprehenduntur.

Quod alia præſidia attinet, cum in omnibus morbis in quibus præter qualitates adeſt etiam aliqua præter naturam materia, evacu-

andum

andum sit, recte feceris, si humoris peccantis evacuationem instituieris, cavendo saltem ne in eam rem fortioribus & elective purgantibus utaris magno tuo damno. Nam si Hepar calidum est & Ventriculus imbecillis, medicinæ, quæ à toto ambitu tanquam à circumferentia ad centrum trahunt, materiam etiam alibi contentam trahunt ad membra affecta, quod tuto fieri nequit, cum potius ad alia divertere debeamus, quam ad offensa trahere; destruunt quoq; ventriculi tonum, venæ præterea & viæ, dum assidua attractione vexantur, multum debilitantur & relaxantur atq; ad obstructiones præparantur, unde malorum Ilias. Quin & medicamenta istiusmodi fortia vix evacuant ut oportet, ob multas obstructiones, quæ comitari solent hunc affectum & impedimento sunt, quo minus materia, ut decet, duci possit, unde Hepatis fervor & Ventriculi debilitas augetur. Lenibus itaq; res est tentanda. Multi commendant crebrum usum Syrupi de Cichorio cum Rhabarbaro tanquam accommodatissimum, ut qui amaritudine sua contemperat Hepar supercalefactum & obstructiones aperit. Alii Syrupum Diasereos laudant, quem multis annis efficacem probarunt, eumq; ad Hepatis oppilationes, Lienis etiam & venarum Mesaraicarum, utilissimum deprehenderunt.

Si meo consilio locus, velim, ut ablutis communi Enemate intestinis, si humores redundantes forsan in ventriculo sine sensu, vel aliqua etiam cardialgia in os defluere, & frequenti

expui-

expultione reddi perceperis, poſt largiorem cœnam & liberaliorem omnium ingurgitationem, elapſis circiter duabus horis, adactis in fauces digitis aut pluma vomitum moveres, qui multo facilior ſuccedet & ea, quæ vix ulli emetico promovere datum eſt, ſine humorum perturbatione educet. Abſoluto hoc everriculo ſequenti die ad expediendas primas corporis vias & à ſaburra ſordiumq; illuvie repurgandas abſorbere poteris ſequentem potiunculam. ℞ folior. Senæ ʒiij. Epithymi ʒiß: Radicum polypodii ʒß. Seminum anifi ϑ iiij. Zingiberis ϑ j. infundantur in decocto tamarindorum & prunorum dulcium ʒv. Mane colentar. Colaturæ adde ſyrupi magiſtralis ad melancholiam ʒj. Miſce, fiat potio. Quam quidem potiunculam Tibi aſſumendam ſuaſerim, etiamſi vomitum prædictum inſtitueris. Peracta vero leni hac evacuatione, nulla apparente plethora, & viribus languidis, poſtero die circa quartam pomeridianam autor Tibi fuerim, ut applicatis ad venas ani hirudinibus emungeres ſanguinis uncias quinq; vel ſex, cum calor & pruritus eo loci moleſtus, id ſuadere videatur; quo remedii genere ex artis lege adminiſtrato, nullatenus dubito, quin valetudini tuæ plurimum ſit acceſſurum commodi. His factis cauſa morbi, ſi fieri poſſit, abſcindenda erit, quæ licet tam copioſa ſit, ut hac anni tempeſtate tota exhauriri nequeat, attamen ne impoſterum aucta vires obruat, ſenſim & pedetentim ſubtrahi poterit ſequenti apozemate ℞ Radic. polypodii

dii quercini ʒj. Radic. Cichorii, buglossi oxalidis ana ʒß. Herbar. agrimoniæ, cuscutæ, endiviæ, Ceterach, Capilloram veneris ana M. i. florum trium cordialium ana p. i. Sem. coriandri ʒij. pomorum redolentium per frusta sectorum n. iij. fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ, in qua per horas quinq; præmacerata fuerint ʒij. foliorum senæ cum ʒj. tartari albi subtilissime pulverisati. Post sufficientem coctionem fiat colatura, in qua limpida reducta ad ʒxx. dissolve syrupi violacei & magistralis ad melancholiam ana ʒij. Misce, fiat apozema pro quinq; vicibus seu dosibus matutinis consequentibus vel alternis sumendis, juxta operationem & vires; Si ferre possis, melius erit consequentibus. Suave & tutum est hoc apozema, neq; medicamentum ullum validius assumendum Tibi suaserim, sed idem Te post dies aliquot repetere velim, ut pote cujus continuatione materia morbifica citra ullam virium jacturam sensim evacuabitur, viresq; vegetiores evadent. Diebus vero interjectis ad humorum præparationem & symptomatum quoq; allevationem uti poteris jusculis alteratis Radicibus polypodii quercini, quæ dulces sunt & gustui gratæ nec multum calefaciunt; additis radicibus borraginis & liquiritiæ, nec non agrimonia, cichorio melissa, borragine, ceterach, capillo veneris & corticibus pomorum odoriferorum, idq; mane & quarta pomeridiana, dissolvendo in unoquoq; jusculo acidi tartari scrupulum unum. His præmissis accede ad chalybis usum

in

in quo consistit obstructionum reseratio, crassorum attenuatio, acrium dulcoratio & insignis partium laborantium corroboratio. Nolim tamen dari crassiorem chalybis substantiam, sed potius ejus infusionem vel cristallum, aut liquorem Martiatum ex eodem præparatum, quem à pharmacopœo meo petere poteris, per quinq; vel sex septimanas, imo diutius, assumendum, si tibi tam bene fuerit, ut hujus veluti panacææ usus cætera possit excusare remedia. In hoc stadio nihil est admodum importuni, siquidem Tibi chalybem sumenti tui juris esse licet, obambulare & propriis vacare negotiis. Importunum saltem illud est, quod chalybe utentibus alvus segnior esse solet, videndum itaq; ut ea in dies respondeat pro virium ratione & evacuandi necessitate. In eam rem conducet necessitate urgente devorare pilulas Diatartareas *Fonsecæ*, semidrachma vel duorum scrupulorum dosi per horam ante cœnam sumendas, quæ obstructiones quoq; quas in Te plurimas invenio reserare, & humorem melancholicum sensim expurgare & contemperare perquam sunt accomodatæ. Interim symptomatum maxime urgentium ratio habenda, imprimis concoctio juvanda, flatus discutiendi & vapores in rationis domicilium elevari consueti, supprimendi. In hunc finem conficiatur pulvis pepticus ex semuncia seminum Coriandri præparatorum, anisi vero & fœniculi dulcis, grosso modo pulverisatorum, utriusq; drachmis duabus, adjectis corticum Citri conditi minutim

inciſorum drachmis ſex, ſpecierum Aromatici roſati ſcrupulis quatuor; florum boraginis, bugloſſi, roſarum & violarum ana pugillo uno, & ſacchari ad pondus omnium triplo. Hujus pulveris cochlearis menſura devoretur mox ab omni paſtu. Virium deniq; robori conſulatur Electuario ex Conſervæ boraginis ℥ij. bugloſſi ℥j. roſarum ℥jß. florum tunicæ ℥ß. Radicum Scorzoneræ conditarum ʒvj. Nucis moſchatæ conditæ ʒj. permiſcendo his confectionis Alkermes ℈iiij. & ſpecierum lætificantis ℈j. redigantur in Electuarii formam, juglandis quantitate ſomni hora devorandi. Atq; hæc pro tempore ſufficiant. Impoſterum, cuncta ubi cœperint fronde virere nova, de ſero lactis, acidulis, nec non aquæ dulcis balneo, & aliis erit cogitandum. Interim his fruere in commodum tuum uberrimum & ſiquid in futurum grati à me Tibi accidere poteſt, hiſce Tibi omnem meam operam animumq; ſpondeo. Vale, & me ama, qui Tibi omnia præcor & auguror felicia.

Concil. III.

In Melancholia Hypochondriaca, cum rationis perturbatione, pro Viro nobili.

Nobiliſſime Vir, Tanta eſt hoc ævo morum & judiciorum corruptio, educationis negligentia, vitæq; intemperantia, ut nobilem ocyus

ocyus Arabiæ felicis Phœnicem, quam ullum hominis corpus ſub Lunæ concavo orbe perfecte & integre ſanum inveneris. Sunt morborum quidam, delictorum noſtrorum vindices, qui à Deo, Conditore maximo, mortalibus, & juſto quidem judicio, immittuntur; non pauci hæreditario quodam jure, ex parentum genitalis ſeminis prava & morboſa diſpoſitione cum vita in natos propagantur; plurimi improba victus ratione contrahuntur, ut Diogenianus ex iis nos ægrotare, ex quibus vivimus, veriſſime affirmarit. Sic eſt ſane, ut nemo ſine crimine vivit, ita nec nullus ſine morbo, in aliis alio. Inter mille vero morborum catervas, corpora noſtra undiq; laceſſentes, vix occurrit alius adeo diuturnus & lateri mordicus hærens, curatuq; difficilis; non tantum ob humoris melancholici contumaciam, ſed & indicantium inter ſe pugnantium ægrorumq; inobedientiam quam ille, quem Medici à loco utriuſq; hypochondrii, quo pars illa corporis, quæ ſub nothis coſtis ad Ilia uſq; utrinq; protenditur, & cum muſculis ipſa viſcera complectitur, intelligitur, Hypochondriacæ nomine inſignitur; unde, ſi cerebrum afficiatur, Melancholia hypocondriaca nominatur. Atq; hic eſt affectus, qui Tibi, Vir nobiliſſime proh dolor! infeſtas tantas creat moleſtias. Rerum Natura parens, induſtrius alioquin humani corporis opifex, Tibi vero noverca, fabrificavit Tibi ventriculum frigidum, Hepar vero & Lienem cum Meſentério & vicinis partibus calidiora, à quorum viſcerum in-

æqualitate & antipraxia totius fundi calamitas. Horum vitio & coctione depravata magna humorum crudorum, imprimis vero melancholicorum colluvies accumulatur in hypochondriis, & præsertim in ramis venæ portæ majoribus & splenicis, ubi moram trahentes aduruntur & calorem contrahunt, atq; insignes obeunt fermentationes. Hinc *Diocles* affectum hunc per quandam ventriculi phlogosin seu inflammationem describit. Et *Galenus*, medicæ scholæ fulgentissimum jubar, hypochondriacas affectiones docet, plus quam decet caloris, in venis, quæ alimentum è ventriculo excipiunt, habere. Atq; hinc variæ & horrendæ in Microcosmo excitantur turbæ & tempestates. Ab hac minera vapores atri, obscuri & tenebricosi, ejusdem scilicet cum humore, à quo elevantur, indolis & naturæ, in sacrum rationis domicilium atq; in vitæ fontem delati varia accidentia producunt, timorem nempe & mœstitiam atq; anxietatem, animales spiritus obnubilant, & rationis usum perturbant. Unde omnia objecta ad modum vitiosæ spirituum dispositionis speciebus imprimuntur & varia melancholica pathemata suscitantur. Nempe ut pueri dum in tenebris versantur timere & expaveſcere, atq; mira sibi somnia fingere solent; ita & melancholici, ubi spiritus eorum, vaporum atrorum & tenebricosorum permixtione, obfuscantur, timent & mira sibi falso imaginantur, idq; sæpius adeo pertinaciter, ut rem aliter se habere vix persuaseris. Adaugent in Te malum hoc gra-

graviſſimum præter errores in victu commiſſos, edaces animi curæ & ſolicitudines, ſtudia improba, & nocturnæ lucubrationes, quibus omnibus nimium indulges, vigiliæ & alia, imprimis vita ſedentaria, unde cruditates & obſtructiones, frequentes Melancholiæ cauſæ, ſi *Aetio* fides habenda. Hinc præ cæteris ſtudioſi & liberalium artium literis incumbentes, huic affectui maxime ſunt obnoxii. Idæa propulſionis hujus mali conſiſtit in ablatione cauſæ, qua neglecta, ne hilum quidem in cura profeceris. Hoc opus hic labor, difficilis quidem, attamen, ut ſpero, non impoſſibilis, dummodo Te dictis audientem habuerimus. Siquidem quotidiana experientia teſtatur, hunc affectum, quamvis Medicorum peritia & ægrorum obedientia quandoq; enervatus ferietur, facile recrudeſcere & plerumq; ad interitum homines comitari. Et quoniam morbi chronici & ſaturnini Medicorum decreto victu potius ex artis lege inſtituto, quam longo & faſtidioſo medicamentorum apparatu, votis rariſſime reſpondente curantur, omnibus Tibi nervis enitendum erit, ne quid erroris in ſex rebus non naturalibus, Medicis ſic dictis, committas. Siquidem his rite præſcriptis & obſervatis *Galenus*, ſolertiſſimus Medicorum præceptor & judex, multos ſeſe melancholicos priſtino vigori reſtituiſſe gloriatur, & *Damaſcenus* inquit, ſi ſola curare poteris recta & accommodata victus ratione, proſpere Tibi cuncta ſucceſſura. Aër itaq; ſit purus & ſerenus; Cibus ſit boni ſucci,

concoctu facilis, quiq; bene nutriat & in probum vertatur ſanguinem; Vitandi cibi craſſi, lenti, viſcoſi, flatulenti & ſicci. Melancholici enim non diutius curantur, quam humectantur. Acres quoq; averſandi. Illi meatus obſtruunt; hi intemperiem viſcerum adaugent & humores adurunt. Conveniunt carnes agninæ, vitulinæ, vervecinæ, bubulæ juniores & teneræ, non pingues aut frixæ; Noxiæ ſunt ſuillæ, bubulæ vetuſtiores, ferinæ. In volatilium cenſu conceduntur pulli, perdices, aves montanæ & quæ in ſepibus & campeſtribus locis degunt; Aquaticæ omnes fugiendæ. Abſtinendum ab omnibus, quibus ad ſaporem gulæ ſal cœpit tabeſcere, quæ muria & ſalſinagine condita aut fumo ſunt obdurata; pedes etiam & viſcera animalium uſu exulent. Probantur ex piſcibus ſaxatiles; rejiciuntur, qui in cœnoſis capiuntur piſcinis & ſtagnantibus aquis, nec non ſaliti. Sal enim, cum denſandi, conſtrigendi & coagulandi vi & facultate polleat, facit ut humores in hypochondriis facilius cumulentur & detineantur. Nec admittendi cancri, oſtreæ & conchylia atq; id genus oſtracodermorum, glutinoſas carnes habentium. Fructus facile putreſcunt & corrumpuntur. Laudantur poma odorifera, quæ & alimenti & medicamenti vicem gerunt. Ex cerealibus conducit hordeum depilatum brodio aliquo dilutum, nec non oryza in jure pulli ad lentorem cocta. In his tamen, quemadmodum in aliis juſculis quibuſcunq; aſſumendis cavendum, ne modeſtiæ limites tranſeas,

fluctu-

fluctuationem, alioquin parituris. Panis sit è frumento puro & bene coctus. Pro potu sit cerevisia mediocris, clara & defœcata, cujus primus hauſtus sit medicatus meliſſa, boragine & similibus. Vitandus largior inter cibum potus, quemadmodum & pomeridianus & qui mane vacuo ventriculo assumitur. Sed de his satis superq;. Nimis enim longum foret singulas diætæ minutias perstringere. Memineris saltem iis maxime cibis uti quos optime tolerare, concoquere & citra ullam Te moleſtiam distribuere animadverteris. Cave etiam ne bonorum ciborum plus, quam ventriculus probe concoquere queat assumas: Vitanda quoq; in eadem mensa ciborum varietas atq; ordo in iis assumendis observandus & alia. Alvus indies officio suo fungatur, quod, si pigrior fuerit, instigetur esu Cassiæ è canna ante prandium, vel infusione Senæ factæ in frigido in æquis partibus aquæ pomorum redolentium & succi aurantiorum in brodio aliquo; vel miscendo quatuor aut quinq; cochlearia ejus cum primo hauſtu cerevisiæ in prandio assumenda, vel prunis solutivis cum Sena & Manna paratis. Exercitia sint moderata. Vitanda animi pathemata. In aliis moderationi studendum. Sed ad Pharmaciam propero, cumq; impossibile sit adeo exactam diætæ normam observare, quin cruditates & vitiosi succi in corpore accumulentur, ii sedulo sunt everrendi, ne gravioribus malis ansam præbeant. In eum finem fortiora fugienda. Probatur mihi præ cæteris

Sena, aduſtis & pituitoſis humoribus expurgandis apprime accommodata & tuta, qua uti poteris vel in decocto vel infuſo hoc aut ſimili modo. ℞ Rad. polypodii querc. ʒſs glycyrrhizæ ʒij. florum boraginis, bugloſſi, meliſſæ, ana p. j. Epithymi ʒij. foliorum Senæ ʒiij. Galangæ ℈iiij. paſſular. ʒſs. fiat omnium decoctio in ſ. q. aq. cum colat. cujus uncius tribus adde ſyrupi diaſereos & pomorum purgantis, ana ʒj. Cremor. tart. ℈j. M. fiat potio, haurienda mane, cum debito regimine. Sequenti die Hæmorrhoides, Tibi fluere conſuetæ, hirudinum applicatione non ſine commodo tuo aperire poteris, quo ſolo remedio melancholiam hypochondriacam, quæ aliis præſidiis tolli non potuit, ſanatam fuiſſe obſervatum eſt. His peractis ad materiæ præparationem amplius accedendum. ℞ Rad. bugloſſi, aſparagi, cichorei, graminis, ana ʒj. glycyrrhizæ ʒſs. Herbar. Agrimoniæ Endiviæ, Capillorum Veneris, Ceterach, Cuſcutæ, Betonicæ, ana Mſs. florum boraginis, ſcabioſæ, viol. ana p. j. anthos p. ſs. foliorum Senæ ʒj. Epithymi ʒij. Semin. Aniſi ʒij. Fœniculi dulcis ʒj. Corticum pomorum odoriferorum M. j. fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ ad libram unam cum colatura, in qua diſſolve ſyrupi Diaſereos & magiſtralis ad melancholiam, ana ʒij. Miſce, fiat Apozema pro quatuor doſibus matutinis conſequentibus vel alternis ſumendis habito operationis & virium reſpectu. Interpoſito uno vel altero quietis die repetatur potio purgans. His factis ſatis

pra-

præparatum erit corpus ad uſum chalybis, qui inter reliqua præſidiorum genera in hoc affectu ad elidendas viſcerum obſtructiones & acrium humorum dulcorationem, viſcerumq; corroborationem potiores ſibi vendicat partes, melancholiæ hypochondriacæ convenientiſſimus, unde & proprium hujus affectus alexipharmacum à *Claudino* ſalutatur; & *Mercatus* teſtatur, chalybem incredibili efficacia affectioni hypochondriacæ prodeſſe, à quacunq; etiam cauſa natales ortus derivet. Varii ſunt ejus exhibendi modi. Si meo conſilio locus, petere poteris à pharmacopœo noſtro liquorem tartarochalybeatum, cujus ℥ij. vel tres in juſculo pulli, corticibus capparum, boragine, capillo veneris, ſoncho, meliſſa, agrimonià & corticibus pomorum redolentium alterato, velim Te aſſumere pro vice. In hoc caſu tantum fido chalybi, ut ſuaſerim Tibi huic generoſo remedio per menſem inhærere omni mane, leviter ſuperambulando, præſertim ſi fæces alvi ab eo nigreſcere videris, alioquin parum felix eſt ejus uſus. Ad ſuperandos enim chronicos morbos & mordicus hærentes longo temporis ſpatio opus eſt, alias cum calumniæ periculo & artis dedecore operam ludet Medicus, æger vero nihil quicquam proficiet. Interim opera danda ut alvus indies reſpondeat, quæ ſi ſegnior fuerit inſtigetur iis de quibus ſupra. Abſoluto ſtadio chalybeato appropinquante nunc Majo menſe velim ut ad correctionem fervidæ hepatis intemperiei bibas omni mane ad tria

aut

aut quatuor pocula ſerum lactis tamarindis ſegregatum addendo ſucci pomorum redolentium recentis uncias tres aut quatuor & parum ſacchari aut ſyrupi violacei. Ubi Sirius œſtro urit raucæq; cantillant cicadæ proderit aquæ dulcis balneum, tepidulum ſaltem, permiſcendo aliquid lactis, ſi viſum fuerit, incoquendo etiam herbas refrigerantes, roſas præſertim & nympheam. Huic dicandi ſunt dies plurimi conſequentes, ſi fueris ferendo. Autumno adventante de aliis pro re nata cogitandum. Hæc pro tempore ſufficiant. Vale.

Concil. IV.

In Arthritide vaga, pro viro quodam reverendo.

Affictam valetudinem tuam, Vir reverende, ſiniſtro mihi Mercurio per literas, à lectiſſima conjuge tua ad me exaratas, nunciatam, graviter moleſteq; fero, qui amicorum commodis & incommodis non minus ac meis affici ſoleo. Ea ſcil. eſt rerum humanarum ſors & conditio, ut dum his corporis compagibus incluſi ſumus, nihil ſit diuturnum, nedum perpetuum. Sanitatem excipiunt morbi & hos viciſſim ſanitas. Horum alterna viciſſitudo, donec ſuperata morte æterna tandem fruamur vita, mutari neſcia nec ullis amplius morbis obnoxia. Affectus, qui Te affligit, Arthritis eſt

vaga

vaga ſcorbutica, cujus ea eſt indoles; hoc ingenium, ut nunquam uno loco fixa hæreat, ſed de loco in locum tranſmigret: ita quidem, ut qui jam integræ ſanitati reſtitutus & dolore omni liberatus videbatur, improviſo & præter ſpem tanto iterum dolore, quantum ne *Tityus* quidem amator ſuſtinuit, cum vultures apud inferos jecur ejus divellerent, corripiatur. Licet vero nulla in Te appareant Scorbuti, quod ſciam, pathognomonica ſigna, attamen præter dictos dolores vagos & erraticos, faciei tuæ color cum livore quodam pallidus hujus mihi mali, ſub omnium malorum larva corpora noſtra aggredi ſoliti, haud levem præbet ſuſpicionem: maxime vero, quod jam longo annorum defluxu hypochondriacæ tyrannidi ſuccubuiſti, à qua Scorbutus non niſi malignitatis quodam peculiaris gradu differt, unde & communia fere ſymptomata uterq; obtinet, quibus omnibus & hoc accedit, quod Deus Tibi in ſcorbutico aëre lares fixit. Ex tribus rerum omnium principiis, ut cum chymicis loquar, Salinum πολυμορφὸν mille creat accidentia, ſi quando exundet, vel præter naturæ limites luxuriet aut abundantius in ſui naturam ingeſta convertat, tunc producitur & feriante archæo augetur ſubſtantia illa, quam Neoterici Tartarum appellant, potentem plurimarum infirmitatum cauſam in ſua ſeparatione, ſive ſeroſa colluvie dilutum fluctuet, ſive concreſcat in tophum. Hic dicamus Tartarum eſſe in diſſoluto, à quo in brachia, carpos, genu, pedes, coxæ articulum

&

& vicinas partes decumbente dolor atrociſſimus producitur, qui tamen non diu durat, quod materia fluxilis ad motum prompta & ad locum mutandum apta exiſtat. Cæterum affectus hic vagus, quemadmodum & arthritis fixa, inter morbos longos, refractarios & curatu perdifficiles numeratur, ſive ſolitarius ſit, ſive cum aliis ſymptomatis complicatus. Idea curationis conſiſtit in peccantium humorum evacuatione, in corrigenda partium nutritiarum inæqualitate, hepatis præſertim fervidiore intemperie, atq; in muniendis & corroborandis articulis. Hoc negotium diætæ potiſſimum incumbit, ſiquidem cibus & potus arthritidi materiam ſuppeditare ſolet, & niſi præ cæteris anteambulationis perſonam ſuſtinuerit, incaſſum erunt omnia alia remedia. In cibo itaq; & potu vitentur omnia quæ humores tartareos generare ſolent. Contra vero in uſu quotidiano ſint cibi boni ſucci, facilis concoctionis, & promptæ diſtributionis. Ex carnibus profunt vitulinæ & vervicenæ. Bubula, præſertim vetuſta & ſuilla omnino averſanda. Aves montanæ & in ſylvis atq; ſepibus degentes conveniunt. In ſtagnis & lacunis nocent. Conceduntur capones & gallinæ, quæ non ſunt enutritæ. Hæ enim minus proſunt. E piſcium cenſu conceduntur ſaxatiles & boni ſucci; negligendi, qui in aquis ſtagnantibus & cœnoſis degunt, aut glutinoſas habet carnes. Probantur ova ſorbilia & recentia. Improbantur fructus omnes æſtivi præter pruna damaſcena & paſſulas,

paſſulas; in ultima menſa mala cydonia uſui eſſe poſſunt, & pro condimento Cappares à muria bene eloti. Nocent omnis generis acrumina, ut cœpæ & ejus generis alia. Quod potum attinet præſtat à vinis abſtinere, quia nulla fere ſunt, quæ non aliquid tartariæ materiæ contineant, & multos abſtinentia ab iis curatos fuiſſe obſervarunt practici. Idem de pomaceo judicium. Horum vicem ſupplere poteſt Cereviſia, imprimis chamædrytes, cui & chamæpytis, betonica, hypericon, paralyſis & alia incoqui poterunt. Omnino autem parce bibendum, quantum ſiti ſedandæ ſatis eſt, largior enim potus ciborum fluctuationem efficit. Neq; bibendum inter prandium & cœnam, cum facile ad hepar penetret & fluxiones excitet. Multo minus conducit potus matutinus & vacuo ventriculo inſtitutus. Nam ut æthereo Apollinis & Veneris, Solis pediſſequæ, & Mercurii ſpiritu atq; radiis, qui mane noſtrum obſident hemiſphærium, omnia ſublunaria; ita & ingenii vires illuſtrantur. Hæ inſtar nebulæ obrepentis, à vaporibus ex potu matutino in ſacram Palladis arcem elatis miro modo obfuſcantur; ita quidem, ut nec ſtudiis ſedulo incumbere, nec ſerio quicquam meditari poſſis: Idq; iis accidit præ cæteris, qui à Natura, rerum parente calido hepate aliiſq; viſceribus ſunt donati. In his enim materia potulenta vacuo ventriculo aſſumpta, cruda mox à ſitibundis viſceribus ſanguificationis exugitur ac ſeroſæ pleonexias copiam auget, & ſecum rapiens tartareos humores

mores fœcundam in diſpoſitis præbet Arthritidi materiam: ſi præſertim improba victus ratio aeceſſerit. Sed hæc de potu ſatis ſuperq; Cœna ſit prandio levior. Differendus ſomnus ad duas vel tres à cœna horas; ultra ſeptem horas non producendus; fugiendus pomeridianus, qui catarrhos & defluxiones auget. Exercitia ſint moderata, nunquam peracto mox cibo ineunda, ſed matutino potius tempore, quieſcendo per dimidiam ante cibum horam. Alvus ſemper ſit lubrica, quod magni in hoc affectu momenti; ſi fuerit pigrior, ſollicitetur clyſtere, prunis ſolutivis & ſimilibus. Plura quoad diætam adjicere temporis anguſtia excludor. Quod pharmaciam attinet, vomitus hic apprime eſſet neceſſarius. Nam nihil potentius ad ſtabiliendum certæ curationis morborum difficilium fundamentum, nihil efficacius ad revellendum, quoties à ſuperioribus ad infernas partes ſit humorum decubitus. His accedit, quod ventriculus tuus cruditatibus eſt refertus. Sed dum conſtitutionem tuam conſidero & quod ad hæmoptoen pronus es, eum Tibi injungere nolo: Velim potius ut evacuationem inſtitueres per inferiora ſequenti Apozemate. ℞ Rad. Sarſæparillæ, polypodii quercini, ana ℥j. Rad. Chinæ ʒiij. Herbar. Scolopen. veræ, Naſturt. aquat. Becabung. M. ſ. Chamæpyteos, Cochlear. ana M. j. ſem. aniſ. ʒj. fiat omnium decoctio in aqua lactis deſtillatæ ℔jſs. in vaſe duplici ſ. a. cum colatura, in qua fervente ſol. Senæ ℥j. Epithymi ʒjſs. Rhabarb ʒij. Crem. Tart.

Tart. ℥jſs. Poſt octo horarum infuſionem fiat expreſſio cum colatura, in qua diſſolve Syrupi de Epithymo & Spina cervina, ana ℥ij. & fiat Apozema, cujus propinentur ℥iiij. vel plures pro ratione operationis, ſingulis vel alternis diebus. Abſoluto hoc decocto ſanguinis aliquid è venis ſedalibus hirudinum applicatione emungi poterit. Sublata per hæc univerſalia antecedente cauſa, cum Scorbuti reſpectu radicis & originis quaſi ſoboles aliqua ſit affectus hic, agrediendus erit hoſtis ſpecificis & appropriatis. In eum finem autor Tibi fuerim ut ſequentibus pilulis utaris omni mane. ℞ Corallorum rubror. Lapidum aſtacorum, conchæ matris perlarum, ana ℥ſs. ſalis tartari albiſſimi ℥ij. ſalis abſinthii ℥j. Permiſceantur omnia & excipiantur ſ. q. Extracti Chamæpyteos & fiat maſſa pilularum, de qua capias ℈ij. vel ℥j. pro vice jejuno ventriculo ſuperhauſtis liquoris ſequentis ℥iij. ℞ Aquæ lumbricorum ſimpl. ℔ij. Aquæ lumbricorum magiſtralis ℔ſs. Extracti Trifolii fibrini ℥ij. Miſceantur in vitro digeſtionis cujus pars ſuperior ſubeat inferiorem, Fiat omnium digeſtio vaſe probe clauſo in M.B. per triduum, poſteaquam ſubſederit, ſeparetur à fæcibus, ſi quæ ſunt, & reſervetur ad uſum. Quod ſi hujus liquoris cochlearia quædam bis terve in die aſſumere placuerit, citius, ut ſpero, convaleſces. Perſeveres in his, donec morbum his remediis evictum videris, alvum ſaltem ſubducendo, ſi opus ſit, Clyſtere aut aliis ſupra nominatis. His factis

morbi

morbi reliquias diſcutias velim Diaphoretico Doct. Jordani, quod conficitur ex regulo Martiato & Jove Anglicano adjecto Mercurio ſublimato, id quod à me petere poteris. Vidi nobilem quendam hoc ipſo intra paucos dies curatum, cum alia præſidia nihil quicquam proficerent. Interim quoq; affectis partibus ſuccurrendum erit roborantibus, ne impoſterum affluxum concitent, & hepatis quoq; intemperies corrigenda. Huic indicationi ſatisfacies Tabellis ſequentibus, donec idoneor arriſerit anni tempeſtas. Nunc plura adjicere ſuperſedeo, ne Tibi durius penſum injunxiſſe videar, ℞ itaq; Spec. Roſat. Novell. Diarrhod. Abb. Diatr. ſantal. Aromat. roſat. ana ʒſs. Sachari roſat. ℈j. ſach. alb. in aqua Cichor. & Roſarum ſoluti ʒijſs. Miſce, fiat confectio in Tabulis. Faxit Deus ut his omnibus fruaris in commodum tuum uberrimum. Vale & me amare perge.

Concil. V.

De modo bibendi Aquas minerales vitriolatas in arenulis, pro reverendo quodam Sene.

QUod felix fauſtumq; ſit & corpori tuo ſaluberrimum, Vir reverende, cum Aquarum mineralium in ericeto Mordonienſi hujus comitatus ſponte ſcaturientium, uſum

ex

ex meo consilio aggredi statuetis, ut renes ab arenulis, tantopere Tibi molestis, liberes, caute Tibi, secundum jam senium ingresso, procedendum erit, ne quid damni corporis tui Oeconomia sustineat. Non parum quidem conferunt aquæ istæ vitriolatæ, quæ ferri mineram, præter fluentes lambunt, ad renes ab arenulis & lithyasi vindicandos. Harum enim substantia liquida, notanda quantitas per intimos viscerum recessus præterfluens, peccantes & in propriis cuniculis stagnantes succos egregie everrit; Cumprimis vero materiam mucilaginosam & tartaream, ex qua coagmentantur, dissolvunt & deturbant; Hepatis quoq; & renum calidam intemperiem, generationis earum causam effectricem egregie, si quod aliud præsidium, corrigunt, hoc ipso plurimum profuturæ, si nihil impediat. In morborum enim curatione, feliciter peragenda necesse est ut omnia consentiant. Quia tamen senilis ætas per exhalationem calidi atq; humidi innati frigidior est atq; siccior, ob id ergo viribus & facultatibus, concoctrice maxime & expultrice, debilis & infirma, metuendum ne tanta aquæ, & præsertim frigidæ, ingurgitatio, calorem nativum, præcipuum concoctionis organum & virtutum animæ instrumentum, penitus destruat & extinguat. Aquæ sane potus ob dictas rationes senibus est infestus, quibus vinum convenientius exhibendum. Deus enim, *Platonis*, Philosophiæ antistitis, suffragio, vinum hominibus, quasi auxiliare adversus senectutis austeritatem

ſitatem pharmacum, largitus eſt; ut reviviſcere videantur & mœſtitiæ oblivio capiat atq; ipſe animi habitus mollis è duro factus, ut ferrum igni impoſitum, tractabilior fiat. Unde & vinum Lac ſenum à nonnullis ſcite admodum nominatur. Utut ſit, cum in hac ſenili ætate tua vivax perſtet in tui recondita caloris nativi aura & ſpiritus, quem Tibi Deus, bonorum omnium largitor beneficentiſſimus, perpetuum velit, aquis mineralibus ut medicamento, non potu, magno, ut ſpero, commodo tuo uti poteris, his inſtructus neceſſariis cautelis. Ac primo quidem cum Senes ſuperfluitatibus abundent, neceſſe eſt, ut ante aquarum potum prima corporis regio ab omni humorum, in ea congeſtorum, ſaburra ſedulo eluatur, quo liberior pateat aquis tranſitus, nec in via hærentes, negotium faceſſant. Id quod ſequenti potiuncula commode perficies habito ætatis reſpectu. ℞ Radicum Altheæ, Liquiritiæ Hiſpanicæ, ana ʒij. Seminum Coriandri, & Tamarindorum, ana ʒvi. Foliqr. Senæ mund. ʒiij. Bulliant in ſ. q. aquæ cum colatura, in qua diſſolve Caſſiæ noviter è canna extracta ʒj. vel plus, poſt duarum horarum infuſionem clarifica cum albumine ovi, in quo diſſolve ſyrupi Diaſereos ʒj. Miſce fiat potio, uno die intermedio repetenda, augendo doſin ſyrupi, ſi operatio non ſatisfecerit expectationi. Præmiſſa levi hac potiuncula bonis ævibus incipe potum aquarum tribus poculis, quæ libram menſuralem unam cum dimidia conſti-

tuant,

tuant, ſequentibus diebus doſin unico poculo augendo, uſq; dum libris ſex compleveris, quam doſin continuare poteris, quoad libitum fuerit, ac deinde ſenſim à ſumma doſi ad primam deſcendere Te velim. Sufficiat illa quantitas in ſenili corpore, ne concoctio depravetur & calor nativus ſupprimatur. Antequam vero matutino tempore circa horam ſeptimam Te ad fontem confers, omni ingenio elaborandum, ut per modeſtum motum non tantum corporis vires ſuſcitentur, ſed & excrementa quoad alvum & urinam expellantur. Quo facto, corpore ab aëris externi injuriis veſtibus probe munito, locus fontis deſtinatus motu mediocri vel equo vel pedibus petatur. Inter bibendum non plenis hauſtibus majoribus, ſed ſenſim & mediocribus, portio conveniens abſolvatur, ut pedetentim aquæ diſtributio fieri queat, neq; ventriculus quantitate oppreſſus eas rejiciat; qua de cauſa neceſſarium erit, ut dum ſumma doſis bibitur, hinc inde leviter obambulando horæ ſpatium abſumatur. Interim inter ſingula pocula pro ſtomachi corroboratione & caloris nativi fomento atq; ſuſtentatione de morſulis Aromatici roſati, de confectione ſeminum Carui, Aniſi, Fœniculi, corticum Aurantiorum & ejus farinæ aliis, portiuncula quædam aſſumpta ſumme utilis & neceſſaria erit. Præ reliquis pulverem pepticum jam olim Tibi præſcriptum, aut hujus loco radices Helenii conditas commendarem. Abſoluta quotidiana potus portione ſubſequatur

motus corporis moderatus, ne corpus ſudore diffluat, quo aquæ forſan in corpore ſtagnantes, nec omnes excretæ trahuntur in corporis habitum, & variis ſymptomatibus anſam præbent. Quod ſi aquæ non tranſierint, ſed in corpore ſubſtiterint, omni ſtudio promovendæ erunt. Et obſervandus probe locus, in quo moram trahunt, ut aptis remediis iiſdem tranſitus paretur. Quodſi in ventre remorentur, evacuari poterunt enemate aliquo in eam rem accommodato; ſi vero in ventriculo, vel habitu corporis retineantur, purgandum erit, & in eum finem Medicus conſulendus. In multis conſtitutionibus liberius & citius tranſeunt ſi in lecto propinentur, vix alias præterfluxuræ, quia meatus lecti calore ſunt patentiores, qui in aëre contracti aquis tranſitum negant. Sunt, qui in hunc finem primo hauſtui permiſcent Syrupum de Glycirrhiza vel de Althea; alii Spiritum Salis aut Vitrioli, nonnulli lapidem Prunellæ in iis diſſolvunt, imo & vinum Rhenanum in medio aquarum potu commendant. Plurimi Medicorum, ut aquas magis effectuales reddant, ſpecificis utuntur. Si Te dicto audientem habuerim, velim præter ſyrupum de Althea ſingulis diebus in primo Aquarum hauſtu aſſumendum, ut mane, à ſomno expergefactus, ſcrupulos duos pilularum de Terebinthina devorares, ſubſequente poſtea conſueta potus portione. Hæ enim materiam arenulis generandis aptam ſubtrahunt ac renes abſtergunt. Totius hujus ſtudii decurſu proba victus

ratio

ratio, tum in quantitate, tum in qualitate, tum & in ordine obſervanda, ne quid corporis œconomia detrementi capiat & aquarum optatus effectus impediatur. Et certe quod aquæ multis minus vel omnino non proſunt, id ipſum intemperantiæ eorum adſcribendum. Aquæ hæ ut plurimum magnum excitare ſolent appetitum, unde multi, ſui obliti, plus in menſa ingerunt, quam natura conficere poteſt. Hinc cruditates, morborum nutrices. Ab hoc itaq; malo ſedulo cavendum. Imprimis vero cavendum, ne cibi quicquam ingeras, antequam Aquæ viſcera præterlapſæ tranſierint. Cibus ſit boni ſucci, facilis concoctionis & promptæ diſtributionis. Noxia ſunt omni ſale affluentia, muria aſſervata & fumo indurata, quemadmodum & pinguai, ſive ſint ex quadrupedum ſeu volatilium ſeu piſcium genere. Damnantur aves aquaticæ, piſces lacuſtres & cœnoſas aquas amantes, quales ſunt anguillæ. Obſunt lacticinia & acrumina, nec non fructus horarii & alia quorum minutias recenſere nimis longum foret. Nunquam ad ſatietatem edendum. Hinc tritum illud Italiorum proverbium; *Qui multum edere optat, parum comedat:* Hoc eſt, parum edendo, diu vivet, & ſic multum edet. Vitanda quoq; ciborum varietas in una eademq; menſa ob concoctionis inæqualitatem & optimam naturæ ſimplici diæta ſatisfactionem. Cœna prandio ſit liberalior, quonium ventriculus veſperi non eſt ita laxus & languidus, atq; ideo majorem cibi quantitatem concoquere

quere poteſt. Sit tamen in edendo modus. Pro potu utere Cereviſia Mediocri, bene defæcata, non nova, neq; acida, vel hujus loco Vino albo tenui aut Rhenano, ſed de his ſatis ſuperq;. Hoc ſaltem adjiciam, ut labores alvum indies lubricam habere; in hunc finem conducent Pilulæ Maſtichinæ vel ſimiles ſub lecti introitum 3ß. doſi devorandæ, quibus etiam uti poteris aquarum actione alvum petente. Neceſſe ſane, ut hæc via alvi regia indies pateat, ne compreſſis infimi ventris vaſis aquæ remorentur, & viſcera inflent. Faxit Deus opt' max' ut omnia cedant in ſalutem tuam uberrimam. Vale, & me ama.

Concil. VI.

In lumbricis cum febri & variis accidentibus in filiolo Reverendi cujuſdam Viri.

MAle me habet incommoda filioli tui dulciſſimi valetudo, digni ſane qui diutiſſime ſit ſuperſtes, ſi Deo viſum fuerit. In eo reſtituendo imploras paterna erga filiolum pietate operam meam Medicam, ſi forſam rebus ejus ſerenior adſpiraret aura periclitaturus. Equidem nullum ſoleo detrectare laborem, quo vel amicum mihi demereri, vel gratam amicis obſequii vicem rependere poſſim; ideo & in hoc lubens tua juſſa capeſſam. Tuſſis aſſidua & ſicca, ſomnus turbulentus, ventriculi ſubverſio, ſpirandi difficultas, nocturnum ſudoris

profu-

profluvium; quibus & febricula quædam cum extremorum inordinato frigore in consortium venit, nec non reliqua symptomatum caterva, quorum in literis tuis mentionem facis, omnia sunt, nisi meum me fallit judicium, vermium genuina soboles. Etsi vero inficias ire nequeam, signa admodum varia & incerta, atq; aliis affectibus communia esse, aliquando obscura adeo, ut sæpe doctissimorum etiam Medicorum εὐστοχίαν majore ex parte eludant: Attamen cum jam vermes aliquot de Teretrum genere per alvum excreverit, res extra omnem dubitationis aleam posita esse videtur. Vivi, an mortui fuerint, de eo ne verbulum quidem, quod tamen in prognosi rite danda haud exigui est momenti. Quippe si mortui excludantur, sine febri vel saltem benigna, bonum esse solet. Nam ob alimenti inopiam interfectos esse putandum. Si vero vigente maligna febri excernantur, malum est signum. Venenum enim internum præostendunt, ob cujus vim sunt interempti. Eadem ratio de vivis est assignanda, qui sæpe horrenda, interdum etiam lethalia symptomata excitant. Ita *Erasmus Roterodamus* in oratione, quam pro Medicinæ laude scripsit, vidisse se refert *Italum*, Phliarium Spoletanum nomine, qui cum nunquam in *Germania* versatus esset, pulchre tamen *Germanorum* lingua locutus sit, quasi dæmone aliquo detentus, cui cum Panaceus, celebris Medicus, medicamenta exhibuisset, magnum eduxit vermium numerum, solvitq; hominem

morbo, & linguæ *Germanicæ* uſu atq; ſcientia privavit. Vidi & ipſe puerulum à me poſt mortem diſſectum, cui inteſtina à Teretre perforata apparebant. Viden' quam miſera ſit homunculorum conditio, quos etiam vivos vermes erodunt, nedum ut ſepulti iis in eſcam veniant, ut vere dixerit, qui ſcripſit, ἄνθρωπον ἔναιμον ψυχάριον βασάνου γεμόν. Caterum à materia pituitoſa & viſcida, quæ ab ingluvie, cibis facile putreſcentibus & craſſum ſuccum generantibus in inteſtinis accumulatur, ortus ſui primordia ducere uno omnes ore affirmant Medicinæ periti, dum calor nativus & vitalis materiam illam virtute ſua informat, non ſecus ac inſecta quædam à ſole procreantur, cum nimirum materia ad illius vim ſuſcipiendam apta nata eſt. Egregie rem peregiſti, qui alvum filioli tui Enemate eluendam curaſti. Quale illud fuerit, & quænam levis iſta, quam exhibuiſti, Medicina ſit, de eo altum ſilentium. Familiari in uſu eſt Enema, quod ex lacte ſacharo dulcorato conficitur. Vermes enim lacte & dulcibus gaudentes ad ea laſciviunt ac moventur, atq; ita ſæpe cum enemate everruntur. Sed in vermium curatione recta methodo procedendum, ſi quid effatu dignum facere volueris, & levis ſæpe error malum in ſe & ſua natura grave exaſperat. Aliis ſiquidem præſidiis utendum, cum lumbrici adſunt nullo alio morbo aut febri præſente, aliis cum febris iiſdem eſt conjuncta, aliis etiam cum ſola ſuſpicio eſt, aliis, cum certo de iis conſtat. Nam quæ vermes jugu-

lant,

lant, amara ſunt, pleraq; calida inſigniter & ſicca, quæ febrim vel accendere vel accenſam adaugere poſſunt, atq; in tenella ætate ventriculo, & hepati, imo & aliis partibus vim inferre apta ſunt, quod crimen vulgus & curioſulæ atq; præcipites mulierculæ noſtræ, in curandis vermibus promiſcue porrigentes, quorum notitiam habent, frequenter incurrunt. In filioli his caſu, cum febriculam, putredinis ſobolem, comitem habeat, mitioribus remediis rem tentandam eſſe judicarim, quæ Teretes necare & necatos per ſedem deturbare illico queant, ne putreſcentes gravia inducant ſymptomata. Putrefacti enim veneni quandam naturam induunt, unde tetra in vitæ & rationis domicilia anathymiaſis elata, lipothymiæ & convulſionibus, epilepticarum æmulis, aliiſq; malis anſam Præbere ſolent, ac ſæpe mortem accerſere. Ita mihi in praxi mea non ita pridem occurrit puerulus febri correptus, omnino à vermibus in inteſtinis ἄφονος per integrum diem, quorum plures poſtea rejecit, qui etiam de crudeli tibiarum dolore conqueſtus eſt. Si Te dicto audientem habuerim, velim, ut ei Julapium propines ex aqua Graminis, Galegæ & Portulacæ ana ℥iij. Syrupi Acetoſitatis Citri ℥jſs. Pulveris Corallinæ ℈ij. Miſce fiat Julapium pro tribus doſibus, cujus una pars mane jejuno ventriculo, altera tertia pomeridiana, & tertia ſomni hora exhibeatur. Hoc Julapium non tantum febrilem æſtum temperabit & putredinem inhibebit, ſed & vermes enecabit, eluendos

dos à meridie Enemate ſupra nominato vel ſimili. Sequenti die materiam vermium in inteſtinis collectam, & vermes ipſos leni cathartico deturbandos ſuaſerim. In eum finem exhibere poteris filiolo tuo Rhabarbari pulveriſati 3ſ. Corallinæ gr. xi. Tundantur, & cum aqua graminis fiat potio, aut ſi mavis, cum eadem aqua fiat paſta pro Pilulis, ſuperbibendo tria vel quatuor Cochlearia Julebi Violacei, quod hoc alliciat vermes, Corallina interficiat, Rhabarbarum vero eoſdem educat. Quod quidem remedium repetere poteris interpoſito uno aut altero die, quibus commode propinabis Julapium dictum. Iterandæ enim ſunt purgationes in verminationibus puerorum, donec impuritati corporis ſatisfactum fuerit, quod ſæpe non niſi longo tempore fieri ſolet. Mercurius dulcis, Chymicorum Draco mitigatus à multis celebratur miris encomiis tanquam ſingulare vermium ipſiuſq; mineræ, in qua nidulantur, everriculum. Etſi vero concedam Mercurium ſpecifica virtute vermibus adverſari, attamen caute & ſummo judicio hunc Deorum nuncium ingerendum duxerim, qui eadem indole eodemq; ingenio præditus eſt in ſublunari mundo, quali Planetam eſſe ferunt, qui cum bonis bonus, cum malis eſt admodum maleficus. Hunc maximas ſæpe in Microcoſmo excitare tempeſtates præter meipſum alii quoq; obſervarunt practici. Alios quippe virus mercuriale ejaculans multavit ſalivatione; alios dentium vacillatione & oris ardore, fauci-

umq;

umq; excoriatione miſere excarnificavit; alios læſa ſacra Palladis arce Catarrhis obnoxios reddidit; jecur his incendit, illos tanta ſiti maceravit, qua nec majorem Tantalum apud inferos ſuſtinuiſſe credideris, damnatus, ut in Eridano ſtans inferorum nec undis præſentibus, nec vicinis ejus pomariis perfrueretur. Vulgus pueris verminantibus pulverem Conſiliginis vel potius Helleboraſtri exhibere ſolent. Sed non videtur periculo vacare hoc remedium, venenoſa quadam facultate præditum. Et novi quoſdam horrendis ab ejus ab uſu convulſivis motibus correptos. Ab ejus itaq; uſu plane abſtinebis, utut mulierculæ hoc ſuadeant. Præſtat ſane tritis & longo uſu probatis uti, quæ ſi forſan non proſunt tantum, nullo tamen modo obeſſe queant. Eſt Medici, non tantum cito & jucunde, ſed & tuto curare. Interim potui ordinario infundatur Corallina, quæ ab *Andrea Matthiolo* & aliis miris laudibus ad vermes non tantum interficiendos, ſed & eadem die expellendos, effertur, maxime ſi commodorum Enematum uſus acceſſerit. Si febris urgeat, nihil efficacius lapide prunellæ in potu aſſumpto. Nam febrim extinguit & lumbricos enecat, præſertim ſi cum decocto graminis & portulacæ propinetur, cui ſit permiſta gelatina Cornu Cervi. Et quoniam filiolus tuus, ut refers, vermibus frequenter moleſtatur, recte feceris, ſi Vere & Autumno evacuandum curaveris. Luna vero decreſcente ſequentem pulverem ex aqua graminis propinaveris.

naveris. ℞ C. Cervi, radicum Filicis & ſeminis Tanaceti, ana p. æqual. Miſce fiat pulvis, cujus doſis ʒſß, vel ℈ij. Exhibeatur vero per triduum. Tandem nec omittenda topica, quæ tamen non ſunt ventriculo, ſed umbilico potius applicanda. Sunt enim ejuſmodi præſidia ventriculo magna ex parte adverſa. Poterit tamen ventriculus foveri adſtringentibus, & acidis, ut roborata parte deorſum pulſis lumbricis, applicatis umbilico præſidiis illos evincere & enecare queamus. Varia ſunt ejuſmodi remedia, quæ tamen omnia ex amaris confici ſolent. Familiaria ſunt mihi Aloe & Myrrha cum melle coctione in Emplaſtri formam redacta, cui pulverem lupinorum permiſcere ſoleo. Sumatur etiam pomum Aurantium, in quo facto foramine ſucci medietatis pomi plus minus extrahatur, cujus loco imponatur parum Theriacæ vel Mithridatii, nec non parum Aloes & Croci cum tantillo aceti, quo facta pomum ad ignem per horæ dimidium aſſetur, poſtea fiat ſucci expreſſio, inungantur tempora, pulſus manuum, pectus & ventriculi regio. Hoc enim remedio Vermes mirifice ad inferiores partes fugantur, ſupradictis poſtea præſidiis propellendi. Sed hæc ad tuas reſpondiſſe ſufficiant. Deus hæc omnia ſecundet in filioli tui ſalutem. Vale, & me ama.

CONCIL:

Concil. VII.

De chalybe ad Virum quendam reverendum verbi divini miniſtrum, Hypochondriaca affectione laborantem cum Vertigine.

TRaditæ mihi ſunt literæ tuæ, Vir reverende, quibus Te chalybis tædio affici percipio, neſcio quorum opinione adductum, qui diuturniorem ejus uſum corpori tuo obſuturum putant. Nollem eorum, qui hoc aſſerunt, judicium & experientiam in dubium illico vocare, rationes eorum avidiſſime exopto. Tu nullas allegas, *Mars* peſſimum eſt mortis, ſed & optimum vitæ inſtrumentum, & tanti mecum eſt momenti, ut, ſi Te dicto audientem habuerim, vellem Te generoſo huic præſidio per menſes aliquot inhærere. Nec eſt, ut Tibi importuni aliquid inde eventurum timeas: Nam rite præparatus, qualis tuus eſt, inter reliqua præſidiorum genera ad viſcera roboranda & obſtructiones eorum elidendas, potiores ſibi vendicat partes: idq; non occulta aliqua facultate, ſed quia humores, ex diminuta ventriculi digeſtione genitos, exſiccat, eoſdemq; peculiari quadam cognatione attractos evacuat; tum quod virtute ſulphuris ſui penetrante infarctus recludit & reſerat & ventriculum frigidiori intemperie laborantem calefacit atq; viſcera adſtrictione ſua corroborat. Quæ quidem

dem omnia cum in Te requirantur, quid uſum ejus diuturniorem impedire poſſit non video. Nollem, ut in ſecunda valetudine quod *Celſus* monet, adverſæ præſidia conſumas; ſed & nihil relictum velim in corpore tuo, quod recidivam facere queat. Cumq; percipiam hoſtem Tibi infenſiſſimum, etſi viribus quodammodo fractum, non tamen propugnaculis ſuis omnino ejectum, *Marti* diutius licitum fuerit meum judicium & experientiam aliorum judicio opponere, ſancte affirmare poſſum, me ab uſu ejus nihil unquam mali deprehendiſſe, imò longa & continua ejus exhibitione, recta ratione fulcita, inſuperabiles alias morbos evictos fuiſſe. Imprimis, affectionem Hypochondriacam, qua Tu laboras, & cujus Vertigo tua ſoboles eſt, oppugnat, teſte *Mercato*, *Claudino*, & aliis, qui non verentur eundem diutiſſime præſcribere, donec morbus victas det manus. Et certe chalybis uſus non dierum numero, ſed indicationis ſatisfactione menſurandus. Nec deeſt *Claudini* autoritas aliorumq; qui eundem per anni ſpatium exhiberi poſſe affirmant. Et mea quidem opinione, quam diu morbus eſt præſens, tamdiu perſeverandum in remediis, juxta rationem ordinatis. Nec obſtat anni tempus calidiuſculum, quod Tibi datur non electionis ſed neceſſitatis. Plura jam de hac re non addam, ne Tibi literarum prolixitate nauſeam moveam. Quod capitis corroborationem attinet & ſpecifica Vertigini dicata de quo mones, cum à vaporibus maxime, ab hypochon-

driis

driis in caput elatis & ſpiritus animales perturbantibus oriatur concidet ea, ut ſpero, chalybis uſu. Ne tamen hac in re de eſſe Tibi videar, pauca addam, quæ Tibi uſui eſſe queant, ne Vertigo in Epilepſiam aut Cæcitatem tranſeat, id quod practicorum obſervatione fieri conſuevit. Ac primo quidem cum nuper admodum ſolennem inſtitueris evacuationem corporis tui, ut eam repetere jam non ſit opus; magna vero curationis pars in recta vivendi ratione ſit collocata, evitabis magno ſtudio omnes aëris injurias, à paſtu nunquam ſomno indulgebis, omnes in gyrum motus evitabis, præcipitia non intuearis, repletiones cavebis, vino moderatiſſimo & paucifero utaris, cibos flatuoſos nunquam, nunquam craſſos, viſcidos guſtabis, aromata & acrumina repudiabis, animi pathemata fugies, mollem ventrem procurabis, à paſtu aſſumes pulverem pepticum ſequentem. ℞ Semin. Fænicul. Aniſ. ana ʒj. Sem. Coriand. ʒvj. Cinamom. ℈j. Menth. Sacharo incruſt. ℈ij. Cort. Citr. cond. ʒß. flor. Viol. Borag. ana ℈ij. Sachari albiſſ. ʒiiij. Miſ. f. pulvis groſſus cujus doſis cochlear unum. Hic pulvis concoctionem adjuvat, flatus diſcutit, ſtomachum roborat, caput exiccat & cerebrum confortat. Interim & opiata uti poteris ad capitis corroborationem in hunc vel ſimilem modum. ℞ Conſ. Roſ. Rubr. Euphraſ. Calendul. Anthos, Borag. ana ʒß. Rad. Scorzon. cond. ʒvj. Myrobal. cond. nº. j. Nucis Moſch. cond. ʒj. Specier. Diambr. ʒß. Succin. alb. pulv. Coral-

rali. p. P. fæcul. pœon. ana ℈ß. Syr. Caryoph. & de cort. citr. ana q. ſ. Miſ. ſ. Elect. auro co-operiendum, cujus doſis quantitas juglandis mane & hora decubitus. Efficaciſſimum quoq; eſt Elixir Proprietatis cum Conſerva florum Calendulæ aſſumptum; vel etiam cum aqua Epileptica *Langii* exhibitum, quæ itidem per ſeipſa utilis, ſi cochlearis quantitate deglutiatur. Cereviſiæ incoquatur Carduus benedictus. Utile eſt ſemen Carui maſticatum & in cibo frequenter uſurpatum. *Crato* pulverem ex Cinabari mire commendat, quam ego ſæpius Pilulis permiſtam magno ægrorum commodo exhibui, nec ullam inde noxam deprehendi. Tandem ne impoſterum vapores ab infernis partibus ad cerebrum eleventur, excitetur fonticulus tribus ſupra genu ſiniſtrum digitis, aliquot piſorum capax. Poſſem alia adjicere, ſed non refert, quam multa, ſed quam bona ſint, quæ præſcribuntur. Tu qualibuscunq; his fruere in commodum & emolumentum tuum uberrimum, & me de ſucceſſu moneto, qui Tibi fauſta quavis & felicia precor & opto. Vale.

CONCIL.

Concil. VIII.

In diſpoſitione Phthiſica à Catarrho, pro nobili Viro ad Medicum ejus.

ETſi male ſe habeant in illuſtriſſimo Viro pro quo conſulimur viſcera naturalia, attamen mea opinione præcipuus mali fons videtur eſſe in cerebro, cujus frigida humiditas perpetuo materiam ſubminiſtrat Catarrho in pulmones depluo, à quo continuo ſtillante videtur inevitabilis eſſe mollis & putredini obnoxiæ partis corruptela, unde impendet funeſta tabes, aucto maxime malo à ſanguine in venis totius fervidiore, corrupto, & ni fallor, Scorbutica labe inquinato. Quænam fuerint à parentibus derivata generationis primordia, ignoro, video tamen, ſi malus fuerit iſtius corporis habitus, nihil ipſi acceſſiſſe compendii ab improba victus lege, imprimis vero largiore pomacei veteris & acidiuſculi potu, quo delectatur; quæ tantis malis generandis potuerunt eſſe ſatis, accedente inſuper mœrore & triſtitia, ex fruſtrato negotiorum magni momenti ſucceſſu concœpta. Faxit Deus, ut res ſint in eo ſtatu, qui ſalutarem Medicam manum admittere poſſit. Metuo enim ne à continuis defluxionibus in formidabilem incidat hæmoptœn, quod malum Deus clementer avertat. Hactenus multa à Te ex artis lege preſcripta

video, quorum effectus quamvis ex voto non ſucceſſerit, id ſubjecto & conditioni morbi, non arti, nec artifici tribuendum. Ne tamen quicquam intentatum relinquatur in hoc nobiliſſimo Viro, digno ſane qui morti nunquam in prædam veniat, cum jam ſatis à Te purgatus ſit, omiſſis impoſterum purgantibus, quæ in morbis pectoris à Catarrho ortis parum aut nihil proſunt, ſed potius noxia ſunt, utpote nihil facientia ad materiæ in pectore evacuationem aut derivationem, ventriculus vero ab iis debilitetur, velim ut ad dies quindecim vel plures utatur decocto Sarſæparillæ. ℞ Sarſæparil. ℥jſs. Rad. Chinæ in taleolos ſectæ ℥ſs. Radic. Pæon. ℥ſs. Herb. Beton. Mi. Serpilli p. ij. Stœchad. Anthos, ana p. j. Paſſul. mund. par. x. Antimon. crudi in petia ligati ℥j. Coquantur in aq. com. limpidæ ℔iiij. in vaſe duplici probe obturato per hor. vj. cum colatura, de qua capiat mane calide ℥iiij. & repetat hora iiij. pomeridiana eandem doſin. Victus ſit ſine calore intenſo ſiccans, alimenta boni ſucci & coctu facilia. Potus ordinarius ſecundarium decoctum. Huic diætæ ſubnectatur uſus florum Sulphuris, addito Benjoin, Glycyrrhiza & Croco, quæ mixta excipiantur pice liquida ex Inſula *Barbados* allata, & fiat maſſa pro Pilulis, quarum uſus ad plures dies conſequentes extendatur. Optimum eſt remedium & à me ſæpius in omnibus humidis & pituitoſis pulmonum affectibus expertum. Deinceps cereviſia medicata, moderate Cephalica, inſigniter pectora-

lis

lis diutiſſime utenda, in paſtibus & extra paſtus præſcribatur, hoc vel ſimili modo. ℞ Rad. Sarſæparillæ ℥vj. Rad. Caryophyllat. ℥iij. Herb. Scabioſ. Tuſſilag. Cap. Veneris, Botryos, ana M. ij. Beton. Salviæ, Roriſmar. Chamæpyt. ana Mſs. Flor. Violar. Bugloſſ. ana p. ij. Liquiritiæ ℥j. Sem. Bombac. ℥ſs. Paſſul. enucl. ℥iij. Caryophyl. Galang. ana ʒj. His affundatur ſufficiens quantitas Cereviſiæ recentis in dolio convenienti, ut fiat Cereviſia Medicata pro potu ordinario. Interim non negligantur Bechica, quorum ſit frequens per diem uſus, hac tamen cautione, ne ſint plura, quia Syrupi pectorales, linctus, & ejuſmodi ſacharata ventriculo minus conveniunt. Placent mihi Tabulæ ex pulpa rad. Tuſſilaginis, ſpeciebus Diatragacanthi & Diaireos paratæ, quibus non ſine magno ægri commodo lac Sulphuris vel etiam ipſius Sulphuris Balſamus rite præparatus adjici poterit. Noctu vero portio nucis Juglandis magnitudine aſſumatur de Electuario, quod *Cratoni* tribuitur. ℞ Conſerv. Roſar. rubr. ℥ij. Spec. Aromat. Roſat. ℈ij. Nucis moſchatæ condit. ℥j. Thuris albiſſimi ℈ij. cum Syrupo de Roſis ſiccis fiat Electuarium, in Catarrhis ſedandis optimum. A paſtu vero utatur pulvere Peptico vel ſaltem ſeminibus Coriandri ſacharo obductis; Velim tandem radi caput & applicari Emplaſtrum ſuſpenſorium cerebrum imborans, quod Tibi præſcribendum relinquo, & niſi jam factum ſit, autor fuerim, ut immediate applicari curet Fonticulum inter primam

& ſecundam colli vertebram, vel duo ad ſuperiorem angulum utriuſq; omoplatæ, excitando ulcera lata, plurium piſorum capacia, quæ diu aperta teneantur. Interim non negligatur Antiſcorbuticorum uſus, quæ labes ſub his malis latere videtur, ægro cumprimis in Scorbutico loco degente. Pluribus impræſentiarum Nobiliſſimum Virum fatigari non eſt neceſſe. Nec refert, quam multa, ſed quam appoſita præſcribantur. Faxit Deus, ut conſilia noſtra cedant in illuſtriſſimi Viri ſalutem & commodum uberrimum. Vale.

Concil. IX.

In Phlegmone Eryſipelatode cubiti in Viro quodam reverendo.

MAximi in Medicina momenti eſt, Reverende Vir, non tantum ſimilia à diſſimilibus ſecernere atq; morborum naturam exploratam penituſq; cognitam habere; ſed & perſpecta morbi idæa & vero ſchemate remedia cuiq; affectui debita prudenter aſſignare: hoc opus, hic labor. Quod affectus, qui Te affligit, ſit Phlegmone Eryſipeladodes in cubito oborta, ut ſcribis, facile crediderim. Venarum eminentia & tumor, rubeus in parte affecta atq; in tumore fervor ac pulſatilis dolor, quæ graphice admodum in literis tuis delineaſti, idipſum manifeſte evincunt. Methodum vero

vero in curatione ſuſceptam probare nullus poſſum. Vidi plures ægros periiſſe magis debitorum remediorum neglectu, quam intempeſtiva & temeraria ſæpe eorundem adminiſtratione. Venæ ſectio, ut feciſti, nullo modo omittenda erat, quæ in corpore plethorico, quale tuum eſt, omnino requiritur & præcipuus ſcopus eſt in morbis à plenitudine obortis, ne ſcil. ſanguinis copia ad affectam partem confluens malum adaugeat, dummodo in principio inſtituatur. Incohantibus enim morbis, ex *Hippocratis* decreto, ſi quid movendum videtur, movendum. Gignitur enim Phlegmone ex ſanguinis copioſioris influxu quam pars poſtulat, undecunq; etiam influat, aut ſi qualitate præter redundantiam moleſtus ſit. Requirebat eandem febris, quæ acceſſit, non quidem acuta, quod materia Phlegmones in parte externa, longe à corde diſſita, hærebat, magna tamen, quod inflammatio fuerit magna & profunda. Huic generationi in Te procul dubio, ſi præincipientem cauſam reſpexeris, magnam anſam præbuit, nimius concionandi labor & ardor immodicus, quo factum, ut per æſtum attenuato ſanguine & concalefacto, exagitante motu & in fervorem ſanguinis maſſam deducente, propulſo, foras ſanguine è vaſis majoribus ad minora, & inde ad minima, donec tandem è venis quaſi expreſſius & ad inania muſculorum ſpacia delatus, in Phlegmonem degeneraverit. Ex quibus patet, quam male & quanto damno tuo neglecta fuerit ve-

næ ſectio. Nec obſtabat, quam pretendis, virium imbecillitas, tanquam contraindicans, cum illa à gravante ſanguinis & humorum copia, minime vero reſolutione aliqua eneverit. De purgatione omiſſa itidem es culpandus, præſertim in corpore cacochymo & ſedentariæ vitæ aſſueto. Etſi enim inflammationes à ſanguine maximę natales ortus derivent, attamen anſam iis præbent humores vitioſi & calidi, qui ſæpe ſanguinem ſecum rapiunt. Hi itaq; expurgandi, id quod commode effeceris infuſo Rhabarbari cum corrigentibus in decocto Tamarindorum addita uncia una ſyrupi Roſarum ſolutivi & de Cichorio cum Rhabarbaro. Quod Phlegmonen ipſam attinet, cum jam ſuppurata ſit nihil habeo quod addam. An ſponte ſua aperta fuerit, an vero ferro vel medicamentis, de eo nihil in literis tuis. Illud tædioſum, diuturnum & ſæpe minus tutum. Hoc non ſine dolore. Ut ut ſit, pus diligenter evacuandum, non una vice, ſed pluribus; dolor mitigandus; & ſi reliquiæ quædam non ſuppuratæ apparuerint, in puş concoquendæ; vulnus mundificandum, ut ejus fieri poſſit agglutinatio, & alia, quæ Chyrurgo tuo ex artis lege adminiſtranda relinquo. Tu his fruere in commodum tuum uberrimum meq; ut facis, amare perge. Vale.

CONCIL:

Concil. X.

Pro eodem Viro in alia Phlegmone.

QUod conſilium meum tantopere Tibi acceptum fuiſſe refers, id amoris tui eſt non meriti mei. Optaſſim equidem, ut coram Tibi operam meam locaſſe potuiſſem, ſed eo erant res meæ loco, ut mihi meo eſſe tunc temporis denegatum fuerit. Quod ſcribis, tumorem alterum in brachio tuo obortum eſſe, id graviter moleſteq; fero, qui amicorum incommodis non minus ac meis affici ſoleo. Sed quid mirum, cum prior Phlegmone, orificio ejus debito citius occluſo, nondum perfecte curata eſſet, imo & vaſis calentis ſanguinis copia ſubeſſet. Hinc effectum, ut facultas corporis rectrix, rebus ſuis conſulens, ea qua premebatur ſanguinis & humorum mole ſeſe exonerans, ſanguinem denuo in imbecillas & ignobiles partes detruſerit, qui novam Phlegmonem excitavit, quod ab initio prioris ſanguis venæ ſectione non fuerit exhauſtus, qui præcipuus ſcopus in hujuſmodi affectibus, à plethora oriundis, haberi ſolet, imo & purgatio neglecta fuit, quæ omnino neceſſaria erat. Siquidem ubi ſanguis mitti nequit, vel ubi venæ ſectio omiſſa fuit, largius ducenda alvus eſt, ſi *Galeno* fides habenda, aut alia ratione educendum ſupervacuum. Cum itaq; in periculo alterius Phlegmones verſeris, autor Tibi fuerim, ut

larga manu ſine mora ſanguinem detrahas & poſtea etiam cacochymiæ evacuationem inſtituas, præſertim cum cutis tua, ut ſcribis, ſit infecta prurigine. A fortioribus abſtinendam duco, ne ſucci exagitentur. Probarim infuſum Senæ & Rhabarbari cum corrigentibus in decocto Tamarindorum, adjecto ſyrupo Roſaceo ſolutivo & de Cichorio cum Rhabarbaro, Purgato corpore ad alterantia progrediendum, Rarum enim eſt, eos, qui inflammationibus hujuſmodi corripiuntur, à febri immunes eſſe, vel ſaltem hepate calidiore, tanquam parte mittente, non eſſe præditos. Refrigerantia itaq; non ſunt negligenda. In quem finem conducet uſus Apozematis ex Cichorio, Acetoſa, Fumaria, Lupulo, Portulaca & Capillaribus parati, adjectis ſyrupo de Endivia, de Cichorio, Oxyſacharo & ſimilibus, pro præſentis Medici judicio. Imprimis vero commendatam Tibi habeas Tincturam Corallorum. Sed vide, ut eam fideli manu confectam procures. Mihi quidem illa arridet, quæ fit ſucco limonum exacte depurato, à qua ſyrupus unica Sachari adjectione differt, & meræ ſunt ſolutiones, non extractiones. Utrumq; tamen præſtans remedium ad ſanguinis vitia depuranda, hæpatis quoq; diſcraſian corrigendam & tonum ejus conſervandum. His factis pleniorem evacuationem inſtituere poteris, prout Medico tuo ordinario viſum fuerit, quem multa ex artis lege præſcripſiſſe video, quibus plura addere vanum eſſet, imo faſtidioſum. Hoc ſaltem accudendum du-

co,

co, ut moneam Chyrurgum, ut ulcus omni ſorditie detergeat. Neq; enim impleri cavitas poteſt niſi ulcus probe detergeatur, de quo & aliis ipſe viderit. Sed manum de tabula. Tu hæc qualiacunq; æqui boniq; conſule, meq; in pectore tuo ſerva, qui Tibi omnia precor & auguror felicia. Vale, & vive.

Concil. XI.

Pro puero tuſſi ferina & ſuffocativa laborante ad Reverendum patrem ejus.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir reverende, gratiores futuræ, niſi filiolum tuum dulciſſimum graviſſima & contumaci admodum tuſſi crudeliter emacerari ſiniſtro mihi *Mercurio* annunciaſſent. Malum hoc ab *Hippocrate*, Medicorum coryphæo, in cenſu morborum, qui pueros infeſtare ſolent, numeratur, & in filiolo Tuo à Catarrho, ex ſacra Palladis arce in ſubjectos pulmones depluo, ortus ſui primordia derivare videtur. Natura, rerum parens, induſtrius alioquin humani corporis opifex, effinxit homini caput ſublime, amplo cerebro donatum, cujus moles homini, quam cæteris animalibus major & propterea præ aliis animantibus Catarrhis obnoxium. Nam cerebri medulla copioſa copioſum requirit alimentum: Ubi vero plurimum excrementi generatur, præſertim ſi cerebrum natura debile, aut aliis

ex

ex cauſis intemperatum exiſtit, quale fere puerorum eſt, humida intemperie præditum. Hinc fit, ut excrementa illa cum ſatis digeri nequeant, augeantur indies, donec tandem luxurient, & cumulata per cauſas moventes excitentur, atq; ſponte ſua vel præ copia in ſubjectas partes depluant. His quoq; materiam ſæpe prebent prava & inordinata victus ratio, quæ ſola ſatis eſt Catarrhis generandis, in pueris maxime, natura ſua voracibus, & appetitui potius, quam rectæ rationi auſcultantibus. Siquidem *Diogeniani* ſuffragio, ex iis ægrotamus, ex quibus vivimus. Etſi vero collecta in rationis domicilio Catarrhalis materia in alias atq; alias partes deturbari ſoleat, attamen in filiolo tuo per venas in pulmones, natura debiliores & aſperam arteriam præcipitatur, ibiq; cumulata, fervore quodam novo ob cordis viciniam concœpto, fermentata irritat facultatem, quam poſtea natura ceu moleſtam valido modo explodere tentat, reſpirationis organis noxa exurgit validiſſima & pene ſuffocatoria, hoc eſt, vehemens efflatio, qua plurimus ſpiritus confertim & celeriter erumpens impetu ſuo explodit illapſa excrementa, aliquando etiam ipſorummet pulmonum vitio genita, meatus eorum obſtruentia. Huic tuſſi leniendæ omni ſtudio occurrendum in tenello corpore, ne ad ſanguinis ſputum deducatur, rupto aliquo ob vehementem motum pulmonis vaſe, vel etiam miſellum iterata ſine intermiſſione fere validiſſima efflatione ſuffocet vel febrim accendat, retenta

intus

intus materia, id quod in puerulis hujuſmodi, medicamenta ut plurimum averſantibus, Herculei laboris eſt. Siquidem malum mordicus hærens vulgaribus præſidiis vix longo temporis effluxu cedit. Si conſilio meo locus fuerit, velim, ut expurgatis per Mannam in jure pulli ſolutam, viis communibus, Catarrho ſiſtendo exhibeas ei hora ſomni Cochlear Diacodii, vel hujus loco Diacodium album, à *Riverio* deſcriptum, quod humores calidos & acres temperare, & ſomnum conciliare aptum eſt, continuandum, donec defluxio fuerit pacata. Huic remedio ſpecifica quædam ad tuſſim hujuſmodi adjungenda, in quorum cenſu longa experientia probatum mihi eſt Electuarium. ℞ Radicum Tuſſilaginis bene mundatarum, ℔j. Coquantur in aqua Farfaræ ad optimam diſſolutionem; tundantur & cribro cremor excipiatur, addendo ſachari candi & penidii ad pondus pulpæ, & coquendo parum, ut probe miſceantur, de quo ſæpius in die exhibeatur urgente tuſſi. Sunt qui eodem mado parent Electuarium ex radicibus Altheæ, quod mire laudant in Tuſſi puerorum. Mihi familiares ſunt rotulæ ex pulpa radicum Altheæ paratæ. Mulierculæ guttulam unam vel alteram exhibent aquæ deſtillantis à limace exiguo ſale conſperſo, quam propinant in hauſtulo cereviſiæ communis calefactæ, idq; certo experimento tuſſim demulcere affirmant. Ex his eligere poteris, quod Tibi maxime arriſerit & Medico tuo ordinario placuerit. Extra vero inungendum curabis pectus mane & ſero

ſero Unguento pectorali vel ſaltem Oleo amigdalarum dulcium, quorum utrumq; vim emolliendi, digerendi & diſſipandi obtinet. Quæ quidem ſi in uſum adhibueris facile voti compos irato *Apollinis* numini litaveris, quæ quidem à benigniſſimo Deo, qui ſolus ſanat & curat, benigne fortunari opto. Vale, & me ama.

Concil. XII.

In Aſitia matronæ cujuſdam ad reverendum maritum ejus.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ humaniſmæ, dextro mihi *Mercurio* traditæ, hoc ipſo gratiores, quod de nato Tibi ex conjuge tua lectiſſima, propitia *Junone Lucina*, ſiliolo, læta mihi annunciarunt evangelia. Eum Tibi cum conjuge lectiſſima ſalvum & perpetuum eſſe velit Deus opt' max' qui Te utriſq; benigne beavit. Male ſaltem me habet Conjugis tuæ, meliori fortuna dignæ, Aſitia & omnimodum ciborum faſtidium, quo non tantum toto imprægnationis tempore, ſed & nunc, dum nutricis munere fungitur, imo pectore ingemiſcit, accedentibus inſuper hyſtericis ſymptomatibus admodum moleſtis. Non Te latet, antequam Virum experta eſſet, & poſt contractum quoq; matrimonium, quam mira & abſurda Malacia, à pravis & certo modo corruptis humoribus,

in

in ventriculo ob læſam ejus concoctionem collectis, orta, miſere fuerit è macerata. Recrudu' it illa, dum utero gerebat, nec dum evicta, cujus genuina quædam ſoboles eſt inappetentia. Ordinarium eſt hoc malum, virginibus chloroſi laborantibus, & gravidis quoq; ob menſtruorum ſuppreſſionem, quæ in corpore moram trahentia vitioſam induunt qualitatem, & ad partes ſuperiores regurgitantia non tantum ventriculum & ejus maxime orificium ſuperius, appetentiæ ſedem, pravo ſucco inficiunt, à quo actiones ejus depravantur & appetitus imprimis à naturali ſtatu dejicitur; ſed & vaporibus, ab eadem minera exhalantibus, hypochondria diſtendunt, caput gravant, atq; mammillas, de quo conqueritur, acrimonia ſua vellicant. Hinc certe omnes lachrymæ ac totius fundi calamitas. Inveterato huic malo & quaſi in habitum degenerato, bonis avibus eradicando *Æſculapio*, aut potentiore aliquo numine opus erit, maxime cum in mulierum morbis curandis Medicos divino imprimis auxilio indigere, magnus ille & æternum venerandus è Coo ſenex prudenter affirmet, quod non facile quivus mulierum morbus ſuperetur, præſertim vetuſtus. Quia tamen naturæ potentia ac virtute, atq; temperamenti bonitate incurabiles prope morbi interdum vincuntur, velim, ut conjux tua dictum factum non minus de bonæ famæ, quam boni corporis habitus Nutrice, cui filiolum lactandum elocet, diligenter circumſpiciat. Durus hic quidem ſermo, ſed ſa-

num

rium consilium. Metuendum enim ne mater cum prole dulcissima, cibo debito destituti, fame pereant. Sine cibo vita diu prorogari nequit. Siquidem, ut ellychnium lampadis olei fomento conservatur; Sic genuinus humani corporis calor, humiditas & vires, quæ continua & occulta corporis exhalatione fatiscunt, salubri & debito cibi & potus pabulo conservantur, quo nec assumpto, nec appositio, neq; infanti lactando sataget conjux, neq; proprias vires reparare & custodire poterit, quibus consumptis ipsum extingui necesse est. Magna, fateor, sunt incommoda, quæ ab infantum elocatione nutricum incuria sæpe sæpius contingunt, quæ adeo nota sunt, ut veteribus proverbii occasionem præbuerint apud *Aristophanem*, Quemadmodum nutrices pascis male. Sed è duobus malis minus eligendum, & præstat filioli elocationem periclitari, quam matrem cum filio perdere. Tu hæc serio tecum ruminabis, & quod maxime consultum videbitur, facies. Laborat præterea Conjux tua pertinacissimis viscerum naturalium, Lienis præsertim, obstructionibus, ad quas reserandas antequam accingamur, ventriculus probe erit ab omni humorum, in eo latitantium, saburra everrendus, ne si male sit huic coquo, totum amplius trahatur in malignitatis consortium. Hinc mari assimilatur, quasi mala toti corpori communicet, ab eodemq; recipiat. Id leni emetico, addo etiam vitriolato, omnium optime feceris. Quid si hujus remedii vim experiaris?

Si

Si ægram dicto audientem habuerim, velim ut Vitrioli albi, ex artis lege probe depurati, ſemidrachmam, cum Extracte Glycyrrhizæ, vel Centaurii minoris in binas pilulas efformatam, jejuno ventriculo devoraret, ſuperhauſto modico ſeri lactis, cereviſia, more *Anglicano*, ſegregati, obſervato debito regimine. Medicamentum hoc tutum eſt & quod ventriculum non tranſcendit, cui quoq; roborando non parum eſt accomodatum, Antimoniali longe præferendum; Hæc enim non ſine magna humorum perturbatione operationem ſuam perficiunt. Id tanti mecum eſt momenti, ut repetendum ſuaſerim, ſi votis, quod ſpero, reſponderit, & ægra cum [illegible] ſuſtinuerit. Omne hujuſmodi ventriculi everriculum excipiat alvinæ ſentinæ deturbatio, ut iſtud Augiæ ſtabulum exacte, ſi fieri poſſit, expurgetur, habito eſſœtarum virium reſpecta, de quarum cuſtodia maxime ſolliciti eſſe debemus, quum prima indicationum omnium ea ſit, quæ de viribus ſumitur. In eam rem amara præcipue, quæ ſimul abſtergendi virtute pollent, uſui erunt, atq; hinc Aloe ventriculo grata & amica dicitur. Præparentur humores oxymelitis unciis duabus, ſyrupi de Mentha & Abſinthio uncia cum dimidia, invicem miſcendis & decocto Hyſopi diluendis, bina doſi propinandis & poſtea purgetur ſequentibus pilulis, recipiendo pilularum de Hiera cum Agarico, Maſtichinarum, ana ʒij. Aggregativarum ʒj. Alœphanginarum ʒjſs, & cum balſamo Peruviano fiant

Pilulæ

Pilulæ numero xxx. quarum capiat quinq; pro dosi. Interim corroboretur ventriculus speciebus Aromatici rosati sacharo permistis & cum pane albo tosto, vino Canarino vel Malvatico inebriato, hora una ante singulos pastus devorandis. Extra vero foveatus ventriculus decocto Menthæ, Absinthii, Rosarum rubrarum, & florum Camomillæ, nuce Moschata, Caryophyllis & similibus in Vino facto, & imponatur Emplastrum sive scutum stomachale ex Caranna & Tacamahaca, in aqua Cinamomi solutis, adjectis speciebus Aromatici rosati, cum balsamo Peruviano in Emplastri formam redigendis. His adjungenda proba victus ratio, qua neglecta Oleam & operam ludet ægra. In ea vitentur omnia, quæ ventriculi orificium laxare apta nata sunt, qualia sunt pinguia quæq;. Fugienda quoq; ingrata & nauseabunda. Usurpentur, quæ vim habent sensum appetitus stimulandi, in quorum censu sunt salsa & acria, modeste assumpta, & in prima potissimum mensa. Cibus ita præparetur, ne multa masticatione opus habeat, alioquin si diu in ore versandus sit, ingratus evadet & appetitum pervertit. Vinum ventriculo confert mediocre, modice austerum, gustui gratum, non vero generosum, quo vires debiles fieri & ratio & experientia docet. Prodest Absinthites. In genere, potus & cibus modeste calefaciendi, siccandi, attrahendi vim habeat, calorq; sopitus excitandus exercitio & laboribus, ante pastum inuendis, cum distributionem ciborum promovendo

vendo appetitum egregie excitent, quod in laboribus deditis manifeſtum eſt. Singulas diætæ minutias recenſere nimis longum foret. Hoc ſaltem notandum ex *Hippocratis* oraculo, quod qui cibos deterioris notæ appetunt, cibos vero boni ſucci pertinaciter averſantur, iis cibum parum deteriorem permittendum eſſe. Sed hæc ſufficiant. Nec refert quam multa, ſed quam appoſita & efficacia præſcribantur. Ventriculo quodammodo reſtituto, de viſcerum infarctu reſerando cogitandum, ſtadium chalybeatum percurrendo, in quo totius curationis cardo verſatur. De quo impoſterum. Tu his fruere in conjugis lectiſſimæ compendium uberrimum. Vale.

Concil. XIII.

In viſcerum obſtructionibus cum Catarrho & Tuſſi, pro Matrona quadam ad maritum ejus.

DE conjuge tua lectiſſima, Vir reverende, ab aquis *Idſordienſibus* ad proprios lares reduce, Tibi gratulor: Ea quod aquas minerales, eo loci ſponte ſua ſcaturientes, felici ſucceſſu & commodo ſuo biberit, ex animo gaudeo, quæ proculdubio magis profuiſſent, ſi cœlum, pulvia indies madidum, ſerenius ariſiſſet. Faxit Deus, perennis vivarum aquarum fons & ſcaturgio, ut quemadmodum corpus

aliquo modo à ſordibus in eo ſtagnantibus proſpere elotum eſt ; ſic anima maxime abluatur in fonte illo aperto *Judæ* & *Hieroſolymis*. Nunc abſoluto bonis avibus aquarum potu, reliquis, quæ in corpore ſuperſunt, malis, ſalutari manu ſuccurramus; ubi imprimis guttur inferius ab obſtructionibus, quæ in eo plurimæ ſunt, liberandum ; Catarrhus tuſſis genuinus parens, à ſacra Palladis arce in ſubjectos pulmones perpendiculariter depluus, ſiſtendus, ventriculus vero cum reliquis partibus firmandus venit, ut huic coquo bene ſit, quo reliquæ partes carere nequeunt. Aſſimilatur enim ventriculus Sereno Regi cuidam, hoc potiſſimum nomine, quod eo læſo reliqui corporis robur imminuatur. In hos fines conjux tua uti poterit hoc vel ſimili Apozemate. ℞ Radicum quinq; aperitivarum aceto maceratarum, ana ʒij. Glycyrrizæ ʒiij. Herbar. Betonicæ, Agrimoniæ, Capillorum Veneris, ana M. j. Semin. Aniſi, Fœniculi, ana ʒiij. Foliorum Senæ ʒj. Flor. Salviæ, Betonicæ, Cichorii, ana p. j. Paſſular. mundat. ʒſs. fiat omnium decoctio in ſ. q. aq. ad ℥xij. cum colatura, cui adde infuſionem ʒij. Rhabarbi in vino albo ſeorſim factam, ſyrupi magiſtralis ad melancholiam. ʒiij. Spir. Vitriol. ℈ſs. Miſce, fiat Apozema reſerandis obſtructionibus accommodatum, cujus ad ignem calefacti, indies, vel alternis ſaltem diebus, duabus ante juſculum horis, jejuno ventriculo capiat, ʒiij, vel iiij. plus minus pro ratione operationis & conjugis tolerantia. Non eſt o-

pus,

pus; ut ſe intra cubilis parietes concludat, dummodo veſtibus convenientibus contra externi aëris injurias ſit bene munita. Hoc præſidio ſi *Apollo* fauſtus arriſerit, venter flatu turgidus non tantum ſubſidebit, ſed & Catarrho materia abſcindetur, ne in pulmones præceps ruat & tuſſim moveat, cui leniendæ lambat frequenter diu noctuq; cum bacillo liquiritiæ de linctu. ℞ Lohoc ſani ʒj. Conſerv. Hyſopi ʒiij. Carnis unius Dactyli, Radic. Helenii condit. ʒj. Spec. Diatragacanth. frigid. ʒiiij. Syrupi de Jujubis q. ſ. Miſce fiat linctus, quo pulmonum intemperies corrigetur & illapſa materia blande expectorabitur. Interim ad cohibendum à cerebro defluxum, hora ſomni devoret conſerva Roſar. veteris ſeſqui drachmam, cui pulveris Olibani ſemiſcrupulus, vel integer, ſi defluxio fuerit vehemens, ſit permiſtus; vel hujus loco duo vel tria grana integra Laudani, pilularum inſtar, de glutire, in ore vero ſtoracis calamitæ fruſtulum per noctem tenere poterit, quo Catarrhi egregie incraſſati ſupprimuntur. Partibus vero roborandis & ventriculi tono conſervando hora una ante ſingulos paſtus aſſumat unam vel alteram tabulam. ℞ Specierum Aromatici roſati & Diarrhodon Abb. ana ʒj. Olei nucis Moſchatæ per expreſſionem gr. iiij. Sacchari in aqua roſarum ſoluti ʒijſs. Miſce, fiant Tabulæ. Imprimis vero probam victus normam, quoad quantitatem, qualitatem & ordinem ſedulo obſervet, qua neglecta nihil proderunt medicamenta. Ejus minutias antehac à me traditas repetere

ſuperſedeo, ne crambem coctam recoquere velle videar. His niſi malum ceſſerit, decocto Ligni litandum duxerim, de quo plura ſuo tempore, ſi neceſſitas poſtulaverit. Interim his fruere in conjugis tuæ ſalutem uberrimam. Vale, & vive.

Concil. XIV.

Ad juvenem quendam ſtudioſum in Phthiſi.

AMicorum commodis & incommodis non minus ac meis affici ſoleo, & tantum abeſt, ut literarum tuarum tædio afficiar, ut anſam mihi dari cupiam, quæ poſſit opera mea cedere in tuum compendium, ſi fieri queat, uberrimum. In eam rem avidiſſime inclinantem genium meum amplectere, & ſi quid grati, ſi quid commodi à me Tibi accidere poteſt, de me Tibi confidenter promitte, qui Tibi omnem operam meam animumq; lubens hiſce ſpondeo. Cæterum quod ſcribis nullum unquam ex progenitoribus tuis Phthiſi, quod ſcias, laboraſſe, id me non movet, quin credam, Te ab ortu tuo debiles habuiſſe pulmones. Sufficit, quod pater tuus, piæ memoriæ, ut probe memini, pulmonum gravi & chronico morbo afflictus fuit, licet eodem vitam, alio & quidem fortuito interveniente caſu, minime finiverit, unde Tibi facile potuit debilis & vitioſa pulmonum conſtitutio imprimi & communicari, quando eorum

eorum ſubſtantia vitio ſeminis genitalis optimi patris tui mollis & ad putredinem propenſa ſenſim ætatis decurſu flaccidior, & putredini magis obnoxia evaſit, concurrente imprimis Catarrho, in pulmones tuos à rationis domicilio per perpendiculum defluo. Novi familiam, quod forte mireris, in qua numeroſa proles hoc morbo jugulata, ne uno quidem ſuperſtite, interiit, ſalvis nec quicquam tale perpeſſis parentibus, ſed ad tardam ſenectutem vitam protrahentibus. Id quod parentum genitali ſemini unice adſcribendum duxerim. Nec enim à ratione alienum eſt, quin ſanorum parentum ſemen in ſua in utero permiſtione morboſum evadere poſſit. Aërem *Batavicum*, craſſiorem & juſto humidiorem, plurimum Tibi incommodaſſe certus ſum. Dum vero inde affectus tui primordia derivas, in eo à vero ab errare mihi videris. Non Te latet, quod antequam *Anglicum* aërem *Batavico* commutaſſes, rupto utiq; in pulmone vaſe aliquo, ſanguinem copioſum cum valida tuſſi eructaſti. A vaſis illius ruptura ſeu vulnere, non recte ex artis lege conſolidato, phlegmonem obortam eſſe, judico; unde facto ulcere, puris ſputum, febris & tabes metuenda. Hinc ſane totius fundi calamitas, cujus rei manifeſtum mihi præbent indicium ſanguinis puncticuli in ſputo purulento conſpicui, accedente febri putrida, Ulceris germana ſobole, à quo ob viciniam putridi vapores ad cor, vitæ domicilium, continuo exhalantes, febrim accendunt, cujus calor inde in totum

diffusus in causa est, ut partes omnes corporis intemperie calida & sicca laborantes, & calorem influentem intemperatum & putredinosum recipientes, alimentum commode concoquere nequeant & male nutriantur, unde sensim propriæ substantiæ consumptio succedit. Febrim hanc quodammodo, ut scribis, deferbuisse bonum est, in hecticam alioquin degeneraturam, & effœtas morbo & laboribus vires funditus prostraturam. Ob hanc satis magnam & aliis de causis, velim ut intermittas aliquandiu lactis asinini usum, *Hippocratis* oraculo monitus, quo lac dare capite dolentibus & febricitantibus malum esse affirmat. Ubi febris remiserit, atq; indicans adfuerit, usum ejus repetere poteris. Quam ad hæmoptœs præventionem de vena sectione quæstionem moves, eam nunc Autumno, tabidis infesto, appropinquante, non sine commodo tuo institui posse puto, si vires permiserint, quibus deficientibus nihil tentandum. Hæ enim si sint valentes, omnia contemnunt & tolerant, ubi infirmæ fuerint, à quovis facile offenduntur. Poteris hac in re præsentis Medici consilium implorare, qui si annuerit, parca saltem manu sanguinem detrahendum esse scias. Quod interna attinet, velim inhæreas decocto Santali Citrini ex imitatione Fonsecæ, de quo antehac. Huic adjunges Balsamum sulphuris, rite paratum, ex syrupo de Hedera terrestri assumendum, medicamentum ad humores pituitosos incidendos, attenuandos, alterandos, concoquendos atq; per sputum seu tussim ejiciendos,

endos, imò & ulcerationem in pulmonibus impediendam, aut ulcus factum ſiccandum, abſtergendum, mundificandum atq; conſolidandum apprime accomodatum. Quod ſi ventriculo forſan non arriſerit, ejus loco Eſſentiam Balſami *Tolutani* ſicci à Pharmacopœo noſtro petere poteris ex decocto Ophiogloſſi hauriendam. De aliis medicus ordinarius viderit; Faxit Deux opt' max' qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, ut hæc Tibi ſalutaria evadant. Vale.

Concil. XV.

Ad virum quendam doctum ſuperato gravi & diuturno morbo.

QUas conjux tua, omni virtutum decore inſigniter ornata, tuo nomine exaratas, ad me dedit literas, ita gratas habui, Vir reverende, ut me ab iis putem immortalitate donatum. Ecquid enim gratius, quid jucundius mihi accidere potuit, quam evangelia iſta, quod tandem poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina vitæ, ex deſperationis gurgite emerſus, afflante Numine, in portu navigare videris? quem ut bonis avibus attingas, votis omnibus à Deo, omnis boni autore, contendo. Ad reficiendum morbi pertinacia & diuturnitate exhauſtum corpuſculum, in quod jure quis contorquere poſſit, quod de ſe ait in Captivis apud Comi-

cum *Ergaſilus*, Oſſa atq; pellis miſera macritudine, ſuaſi Tibi lactis caprini uſum cum debitis cautelis, quod aſinini copia non daretur. Sed non expectandum, ut ſubtilis adeo cymba qualis tua, quæ variis agitata, ſat longo tempore, procellis, plurimam admiſit, rimoſa undiq; paludem, ocyus reparetur. Imo nec tutum eſt. Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, inquit *Hippocrates*, venerandus Medicæ artis conditor, lente reficere oportet. In talibus enim ſpiritus & humores depaſcuntur, carnes tabeſcunt, aliæq; partes, per quas in animantibus concoctio, diſtributio, ſanguificatio, & nutritio perficitur, graciles redduntur. Longiore itaq; tempore ſunt reficienda iſtiuſmodi corpora, quia partes, ob extenuationem debilitatæ, haud poſſunt ſimul magnam alimentorum copiam conficere. Hinc eſt quod minor, ut ſcribis, lactis caprini hauſtus ſine perturbatione & cum facili concoctione ventriculo tuo arridet, cum major eundem gravat. Hactenus lactis hujus uſum propitio *Apolline* cum fructu inſtituiſti, quem Tibi continuandum ſuaſerim, ea tamen doſi, cui ventriculus ſit ferendo. Quodſi corpori reficiendo matutinus lactis hauſtus non ſufficere videtur, alter pro cœna, niſi appetitus obſtiterit, propinari poterit. Inſto huic præſidio, quod non occurrat promptius, nec melius, neq; corpori tuo magis accommodatum. Imprimis vero calorem, volas manuum & pedum plantas exurentem, extinguere aptum natum eſt, de quo querulus es, qui cum ſit jecinoris

fer-

fervidioris & ſiccioris genuina ſoboles, pertinaci lactis uſu demulcebitur, quod refrigerandi & ſubſtantifice humectandi atq; humorum acrimoniam temperandi inſigni facultate præditum exiſtit. Solet calor iſte ingraveſcere, quo tempore cibus in ventriculo concoquitur. Cum enim eo tempore nativus calor una cum ſanguine interius revocetur & ſpiritus ad interna viſcera refugiant, ut coctioni præſto ſint, calidos & acres vapores, ab hepate procreatos, ſecum ducunt, unde partes circa jecur aucto ejus calore incipiunt æſtuare, præſertim cum propter obſtructiones nequeant congruenter diffiari. Et quis neſcit, quod illis, quibus natura, rerum parens, fervidum hepar efformavit, ſemper fere præ aliis volæ manuum non parum caleant; & hæc etiam mihi videtur cauſa, quod facile adeo & frequenter febribus corripiuntur, ut notat *Hippocrates*, Medicorum coryphæus. Ne itaq; lactis hujus tædio afficiaris, tantopere proficui; ſed in uſu ejus non interrupto filo progrediaris. Siquidem ad ſuperandos morbos chronicos & *Saturninos* longo temporis ſpatio opus eſt, alias cum calumniæ periculo & artis dedecore operam ludet medicus atq; æger ne hilum quidem proficiet. Nolim ſatis jam afflictum ergaſtulum tuum pluribus onerare remediis. Duo ſaltem accudam profutura, ut ſpero. Velim ut ſomni hora aſſumas tabulam unam vel alteram ex æquis partibus ſpecierum Diarrhoden Abbatis & Roſatæ Novellæ, cum ſacharo in aqua Roſarum ad juſtam conſiſtentiam

sistentiam cocto, ex artis lege confiatam. Hæ multarum sunt virium reducendi hepar calidius ad debitam temperiem, idq; una cum corde & ventriculo corroborandi. Et quoniam de ventriculi ac ventris interpolato dolore, à flatibus oriundo, conquereris, operæ Te precium facturum putaverim, si dictas partes indies inunxeris linimento sequenti. ℞ Olei Amigdalarum dulcium ℥iij. cui tantundem affunde vini albi tenuis subdulcis, postea accipe comæ Absinthii viridis partes duas, & Cichorii partem unam. Hæc minutim incisa in prædictum Oleum & Vinum emerge, quantum commode liquor iste admittere potest, ut apte coqui possint. Coquantur lento igne ad vini consumptionem. Mox facta diligenti expressione & colatura injice in oleum Mastichæ tritæ ℥j. & specierum Aromatici Rosati ℥ij, quæ adjecto ceræ tantillo mixta reserventur in usus dictus. Interim fac, ut alvus indies officio suo perfungatur, quæ si segnior fuerit instigari poterit Enemate ex jusculo aliquo parato, vel Cassiæ è canna ante prandium esu, vel prunis solutivis aut similibus. Quod herbam istam *Americanam* attinet, quæ vulgo Tabaci nomine insignitur, utrum intermissus ejus usus, sit Tibi, ubi vires fuerint resarcitæ, repetendus, cum Celsus alimenta sanis, ægris vero Medicamenta porrigenda esse dicat, autor Tibi fuerim, ne sine magna necessitate & non nisi maturo consilio Tabaci fumum reddas Tibi familiarem, Herbam istam miris à Deo, conditore maximo, donatum

donatum esse viribus, nemo sanæ mentis inficiabitur, unde proculdubio herba sancta & sana sancta fuit nominata. Omnibus tamen non convenit, & inter eos nec Tibi, ob bilioſam, qua præditus es, conſtitutionem, præſertim cum corpuſculum tuum ſit ſiccum admodum & excarne, unde metuendum, ne quotidiano ejus uſu magis exſiccetur. Adde, quod *Nicotianæ* fumus villos ventriculi moleſtia afficit, ſi nihil evacuandum reperiat, unde illius partis debilitas augetur. Quodſi forſan affectus aliquis frigidus capitis vel ſimilis, uſum ejus ſuaſerit, parca & rariſſima manu exhibitus in uſum venire poteſt. Neq; enim conſuetudine infringenda eſt medicamenti vis. Taceo vim Nicotianæ narcoticam, capiti infeſtam & alia complura. Sed hæc ſufficiant quibus fruaris in commodum tuum uberrimum. Vale.

Concil. XVI.

In Scorbuto ad virum quendam reverendum pro conjuge ejus.

TRaditæ mihi ſunt dextro *Mercurio* literæ tuæ Devonia reduci, Reverende Vir, quibus quod ſtudia mea uſq; adeo grato animo probas, facis Tu quidem abundantia quadam amoris, ut & grata ſint ea, quæ prætermiſiſſe piaculum fuiſſet nunquam expiandum. Utere me, quoties volueris, & quicquid in tuum venerit

nerit compendium, quantum in me eſt, de me Tibi confidenter promitte. Cæterum quod lectiſſimam conjugem tuam attinet, dignam ſane, quam nec morbus ullus nec ſenectus ipſa unquam attingat, niſi meum me fallit judicium, laborat illa Scorbuto, barbare ſic dicto, qui frequenter ſub omnium malorum larva corpora noſtra aggredi ſolet, & jam longo temporis defluxu originis ſuæ prima quidem rudimenta jeciſſe videtur. Hujus genuina ſoboles ſunt ſudores illi nocturni, capitis gravitas & ſtupor, viſus hebetudo, laſſitudines, lumborum, coxendicum, articulorumq; dolores & reliqua maleferiatorum ſymptomatum caterva, quorum tyrannide conjux tua, meliore fortuna digna, imo pectore ingemiſcit. In hoc affectu graviſſimo ſi quando diætæ erroribus, vel partium naturalium vitio quodam & debilitate coctiones perturbantur, & quæ iis conjunctæ ſunt, excrementorum ſeparationes non recte perficiuntur, magna vitioſorum, imprimis melancholicorum ſeroſorumq; humorum colluvies in Meſenterio & prima corporis regione accumulatur, quæ poſtea peculiarem corruptionem nacta, copia ſua naturam opprimens, per venas & arterias in totum corpus, imò ipſa ſæpe viſcera diffunditur, ac varias in Microcoſmo atq; ſtupendas excitat tempeſtates. Obſervavi in praxi mea quoſdam hoc malo viſu aliquandiu privatos, alios omnibus membris contractos, alios atrophia adeo conſumptos, ut vix tramam figuræ reliquam haberent, plurimos articulorum

culorum lancinationibus miſere excarnificatos; & quis Iliada malorum enumeret, quæ hac Hydra poſſeſſis contingere ſolent. In principio cum labes hæc in humoribus hæret, facile curatur; Ubi vero radices egerit, & prava diſpoſitio viſceribus communicata fuerit, vix Medicam manum admittit. Vereor ſane, ut in conjuge tua radicitus evelli queat. Quia tamen agroti ex maximis ſæpe morbis præter omnem Medicorum opinionem liberantur, velim, ut præmiſſo Enemate, ſi natura per Hæmorrhoides evacuationem tentet, aut olim tentaverit, vel ſanguis in toto abundet, ejus circiter quinq; vel ſex uncias per hirudines emungat, ut natura quodammodo levata, reliquos in corpore humores eo facilius ſuperare queat. Quo facto, cum corpus habeat cacochymum, humores vitioſi ſimul præparari atq; evacuari poterunt ſequenti vino medicato. ℞ Radic. Polypod. querc. ℥ſs. Corticum Radic. Cappar. & Tamariſc. ana ʒij. Herbar. Ceterach, Capil. Veneris, Chamædryos, Cichorii, ana M. j. Abſinth. Mſs. Sem. Aniſi, Fœnicul. ana ℥ſs. folior. Senæ ℥j. Rhabarb. ʒij. Cinamom. ʒſs. Conſerv. Fumar. Cochlear. & Borag. ana ℥j. Hæc invicem permiſta ſuſpendantur in ſacculo raro in Vini albi & aquæ Fumariæ, ana ℔jſs. & poſt unius vel alterius diei infuſionem abſorbeat hujus liquoris ℥iij. vel plures, pro ratione operationis, jejuno ventriculo. Sic humorum, in prima regione luxuriantium, ſaburra leniter eliminabitur. Nolim alvum ſæpius ab hoc Medicamento

mento moveri, quod hoc morbo detenti ob viſcerum debilitatem purgationes difficulter ferant; ſufficit ſi ter vel quater moveatur. Abſoluto hoc liquore medicato hoſti infenſiſſimo ſpecificis occurrendum. In quem finem ne durius penſum conjugi tuæ injungam, uti poterit Electuario. ℞. Conſerv. Fumar. & Cochlear. ana ʒj. Conſerv. Flor. geniſtæ, Boraginis, Meliſſ. ana ʒſs. Cortic. Citri condit. Nucis moſchat. condit. ana ʒiij. Specierum Pleris & Diarrhodon Abbat. ana ℈ij. pulv. Aron. comp. ʒſs. cort. Winteran. ℈j. Miſc. cum ſyrupo de Cochlear. in Elect. formam, cujus capiat quantitatem juglandis mane & quarta pomeridiana. His adjungat ſuccos Antiſcorbuticos in cibo & potu adhibendos, nec non Eſſentiam Trifolii fibrini à Pharmacopœo noſtro petendam, inſignis in hoc morbo efficaciæ, & obſervet probam victus legem, qua neglecta, irrata erunt efficaciſſima quævis præſidia. Et hæc ſunt, quæ in conjugis tuæ gratiam accudere volui, quibus iratum *Apollinis* numen placatum iri ſpero. Faxit Deus opt' max' qui curat omnes languores noſtros, & vitam de interitu redimere novit, ut omnia cedant in lectiſſimæ conjugis tuæ ſalutem uberrimum. Vale.

CONCIL.

CONCIL. XVII.

In Phthiſi accedente lithyaſi, pro viro quodam reverendo, verbi divini miniſtro.

MAle me habet, V. R. quod tibi animo & corpore afflictiſſimo ſuperaddita eſt de novo alia afflictio, Lithyaſis ſcil. dolorifica utique & periculoſiſſima. Nec mirum quod affectus hic reliquit te effoetis viribus a Catarrho languidum, longe debiliorem. Laudandus Deus, qui tibi in tantis anguſtiis conſtituto auxiliares adhibuit manus, ita ut excreto calculo vita ſit in vado. Proculdubio diſſuaſit tibi Medicus tuus lactis caprini uſum ob calculum, inſigne alias Analepticum. Non memini lac caprinum, imo nec aſininum unquam calculoſis à Galeno, aut aliis è veteribus fuiſſe exhibitum, cum neq; frangat, neq; minuat calculum, caſeo vero non careat, etſi aliud alio minus ſit caſeoſum. In præſervatione forſan concedi poteſt, ubi inſtrumentis urinæ expulſioni famulantibus, propter dolores, aut aliis de cauſis intemperies ſicca eſt introducta. Nam lac humectat, refrigerat, nutrit. Atq; hanc ob cauſam Hecticis & Phthiſicis conducit. Abſtergit enim ſeroſa ſua parte, conglutinat caſeoſa, nutrit & reficit butyroſa. Sed nequeunt in unum convenire in hac medica materia Calculi extirpatio & Phthiſici corporis curatio

curatio, ut recte notant Medici. In his enim lac diu morari debet, ut ſolidas partes humectet, foveat, refrigeret, recreet; In illis citiſſime per vias vrinarias expedi oportet; Detentum enim graviſſima ſæpe infert incomoda. Recte itaq; interdictum tibi lacte. Urget adhuc Catarrhus graviſſimus ex ſacra Palladis arce in molle, ſpongioſum & putredini obnoxium pulmonum parenchyma depluus. Varia huic ſiſtendo, cum ad cauſam antecedentem, tum & conjunctam removendam, video te uſurpaſſe præſidia, quæ ſi renuente *Apolline* votis non reſponderunt, id neq; arti neq; artifici, ſed ſubjecto laboranti & morbi pertinaciæ adſcribendum. Certe, cum ea, quæ alioquin juvare ſolent, recte adminiſtrata non juvant, id malum portendit. Interim non deſpondendum, ſed ſedulo medicamentis appropriatis inhærendum, & eventus Deo committendus, qui omnes noſtros languores curare & vitam de interitu redimere omnium optime novit. Aquam deſtillatam, a Medico tuo Ordinario tibi præſcriptam, probo ſed tanto malo curando inſufficientem, niſi alia efficatiora acceſſerint. Culpandus es, qui Emplaſtrum capiti raſo applicandum hactenus neglexiſti. Si te dicto audientem habuerim, velim ſine mora id applicandum cures, multum tibi profuturum, ſi *Apollinis* numen propitium arriſerit. Pluribus exhauſtum corpuſculum tuum onerare inconſultum puto. Itaq; unum vel alterum ſaltem proponam affectui

tuo,

tuo, ſub cujus tyrannide imo pectore ingemiſcis, maxime accomodatum. Horum primum ſit Balſamus Sulphuris exquiſitiſſime paratus cum oleo Terebinthinæ & baccarum Juniperi, & tandem per Spiritum Vini rectificatus, à cujus ſeparatione reſtibilis tinctura eſt unicum pulmonum Balſamum, cujus ſi tres quatuorve guttulas vel plures cum Syrupo de Hedera terreſtri mane & quarta pomeridiana adſorpſeris, una fidelia plures dealbabis parietes, cum Catarrhum ſiſtendo, tum & materiam in pectore collectam attenuando, diſſolvendo atq; per ſputum educendo, necnon præhumidos pulmones exſiccando & corroborando. Syrupus vero de Hedera terreſtri egregia vi pollet tam pulmonum, quam renum tartarum incidendi, & reſolvendi, egregie etiam eroſiones & ulcera viſcerum abſtergere & conſolidare aptus natus: adeo ut Tibi Cereviſiam Hedera terreſtri medicatam ſuaſerim, pro potu ordinario utendam, cui magno commodo tuo infundere poteris, ad calculi in futurum præventionem, Lignum Nephriticum ex *Nova Hiſpania* oriundum. His annecte Linctum ex Sachari albi aqua Bechica cocti ℔ß. cui dum adhuc calet, permiſce lente olei Amigdalarum dulcium recenter extracti ʒj. & ſpecierum Diatragacanthi frigidi ʒiß. ut rediganturin formamLinctus, cujus uſus ſit frequens in die ad leniendum pectus & expectorationem promovendum. Catarrhus etiam intercipiatur uſuTrochiſcorum ſublingualium ſub lecti introitum adhibendo-

rum, qui confici poterunt ex ſem. papaveris albi ʒjſſ. gummi Tragacanthi & Arabici, utriuſq; ʒj. ſemin. Portulacæ, Melonum, ana ʒij. ſucci Glycyrrhizæ ʒj. Sachari roſati & penidii, ana ʒvj. cum ſyrupo Papaveris rheados ligandis. Quoniam vero macies urget, cum lactis uſus ob calculum diſpliceat, hordeato uti poteris, & alternis diebus totum corpus inungere oleo Amigdalarum dulcium, quod in plurimis cum ſucceſſu adhibui. His tandem adjungendus victus Analepticus, de quo præſens Medicus monebit. Plura jam non adjiciam, niſi vota mea in ſalutem tuam uberrimam. Vale.

CONCIL. XVIII.

Pro nobili quadam Heroina in dolore ventris & vomitu à paſtu, ſuccedentibus motibus convulſivis ad Medicum ejus.

EXpectabam avide ex promiſſo adventum tuum, ut afflictiſſimæ Dominæ ægræ communi conſilio opem ferremus; ſed fruſtratus præſentia tua meam Tibi mentem hiſce declarare volui. Deſæviere fauſto *Apolline* poſt adminiſtrata hactenus ex artis lege præſidia horrendi membrorum ſubſultus, Epilepticorum æmuli, qui proculdubio ſucceſſerunt fermentationi humorum in Meſenterio & vicinis viſceribus æſtuantium, quam ſalinarum ſubſtantiarum Naturæ gravis commmixio invexit, quæ cauſa

cauſa eſt ordinaria tempeſtatum in minori mundo procelloſe & crudeliter furentium. Horum eliminatio quavis arte procuranda erit, alias, quamdiu in centro imi gutturis fervebit malignus iſte ſuccus, exhalabit perpetuo mephitis, quæ vel convulſionibus denuo reviviſcentibus, vel ſyncope aliove gravi infortunio, longo morbo attenuatam & pene deficientem ægram jugulabit. Complicatorum affectuum hæc eſt ratio, niſi cauſa antecedens tollatur, ars de conjuncta minime triumphare poſſit. Urgent adhuc ventris tormina & cruciatus, quibus non majores ſuſtinuit *Tityus* ille amator, de quo *Servius 6. Æneid.* apud Verg. cum vultures apud inferos jecur ejus divellerent; urget & vomitus à paſtu moleſtus. Et cum in hoc ſubjecto rationis domicilium non tantum tetra vaporum anathymiaſi, ſed & humorum pravorum à partibus nutritiis facta anarrhopia perculſum meo quidem judicio, horrendis & expaveſcendis illis convulſivis motibus anſam præbuerit, ſi ægram dicto audientem habuerim, Tu vero tuum appoſueris calculum: ſuaſerim ei Emeticum, addo etiam vitriolatum, ad everrendam ventriculi ſuburram, pluribus diætæ erroribus, iiſq; enormibus, collectam, unde totius fundi calamitas. Quid ſi hujus remedii vim experiamur, Vitrioli albi ſumme depurati ſcrupulum ex aqua hordei & ceraſorum nigrorum propinantes. Poterit eadem doſis cum extracto liquiritiæ mixta pilulari forma exhiberi, Medicamentum hoc tutum, quod ventriculum non

transcendit, cui corroborando, ut & convulsionibus Epilepticis pacandis apprime est accommodatum. Id tanti mecum est momenti, ut post diem unum vel alterum repetendum suaserim, si votis, ut spero, responderit, & ægra cum ἐυφορία sustinuerit. Omne hujusmodi ventriculi everriculum excipiat alvinæ sentinæ deturbatio, ut istud augiæ stabulum exacte, si fieri possit, expurgetur, ne redivivum malum de novo classicum canat. Adeo mordicus hæret Hydra ob contumaciſſimum viscerum infarctum, ut levioribus vix ac ne vix quidem cesserit. Duro sane nodo, durus quærendus est cuneus, habito tamen virium respectu. Si meæ solius industriæ commissa esset generosa Domina, exhiberem ei Aquilam dulcem, pilulis Mastichinis, vel etiam fortioribus, permistum, à minori dosi ad majorem sensim & per gradus ascendendo. Nam huic viverræ, ex artis lege adhibitæ, nulli resistunt obices, quippe penetrantissima est. Sed longioribus intervallis exhibendus est iste Deorum nuncius, cujus in hoc sublunari mundo ea est indoles, hoc ingenium, quod Planetæ, qui cum bonis bonus, cum malis est admodum maleficus. His pro Colophone annectenda, quæ partium nutritioni dicatarum tono cum restituendo, tum conservanda apta nata sunt. Imprimis capiti prospiciendum specificis, convulsionibus præveniendis accomodatis, in quorum censu Aqua Langii & Spiritus Ceraſorum, hactenus cum successu usurpatus, facilepri-

mis

mas tenet. Pergat, ſi videbitur, in uſu Tabularum Antepelepticarum. Interim proba injungatur victus ratio, cujus minutias Tu, qui præſens, præſcribere poteris. Errores graviſſimi, in diæta antehac commiſſi, generoſam hanc Dominam in tanta mala, ſub quorum mole imo pectore ingemiſcit, certa fide præcipitarunt, à quibus nunquam liberabitur, niſi meliorem victus normam inſtituerit. Faxit Deus opt' max' ut generoſa Domina digna ſane, quæ ſupervivat, priſtinæ ſanitati integre reſtituta marito optimo diutiſſime ſuperſtes ſit & valeat. Vale & me, ut facis, amare perge.

Concil. XIX.

In Scorbuto pro nobili Fœmina ad maritum ejus exaratum.

NObiliſſ. Vir. Scorbutus inter morborum myriades ſub omnium malorum larva corpora noſtra aggredi ſolet, nec ullus eſt, quod ſciam, qui tantæ ac tam vario graviſſimorum Symptomatum ſatellitio ſtipatus incedat. Hujus immaniſſimæ beſtiæ, etſi in nobiliſſima conjuge tua nulla appareant ſigna pathognomonica, attamen multiplicium ſymptomatum σύνδρομη luculentiſſime evincit, lateri ejus hanc multorum capitum Hydram mordicus hærere. Metus & triſtitia; anorexia; vomitus crebri; alvus nunc dura, nunc cita; deliria melancho-

lica; ſudores copioſe fluentes; calores nocturni; ſtrangulationis metus; facies pallida & inflata; Febris continua, quartanæ typo mixta; atrophia; urinæ variæ, ut plurimum craſſæ, ſedimento rubro & craſſo, inſtar farinæ laterum, & reliqua maleferiatorum ſymptomatum caterva, quorum crudeli carnificina efflictim emaceratur conjux tua, meliori fortuna digna, omnia Scorbutum, barbare ſic dictum, male redolent & genuina ſunt iſtius Hydræ ſoboles. Quæ fuerint generationis primordia à parentibus derivata, me quidem latent. Solent enim Scorbutici Scorbuticos generare. Video tamen ab aëre maritimo, in quo degit, nihil ei acceſſiſſe compendii, cui ſi minus proba victus ratio juncta fuerit, huic malo generando potuit eſſe ſatis, in qua plerumq; ſexus fœmininus, appetitui potius, quam rectæ rationi auſcultans, plurimum delinquere ſolet. In hoc affectu ut plurimum viſcerum naturalium vitio & coctione depravata, magna humorum crudorum, imprimis melancholicorum, colluvies in Meſenterio, Omento, primis viis, lociſq; inter Ventriculum, Hepar & Lienem mediis, & utriq; viſceri vicinis, accumulatur; quæ peculiarem quendam malignitatis gradum adepta totius corporis venis communicatur & ipſis quoq; viſceribus malignam labem imprimit, unde in Microcoſmo variæ & horrendæ excitantur, turbæ & tempeſtates. Ab hac enim impura minera maxima vaporum melancholicorum copia in vitæ & rationis domicilium e-

lata,

lata, non tantum metus & triſtitia ob ſpirituum purorum & lucidorum inopiam, ſed & delirium melancholicum, ſpiritibus à vaporibus malignis ejuſdem naturæ conturbatis, oriuntur. Languet appetitus ob vitioſi humoris, imprimis excrementi crudi, inſipidi, lenti & pituitoſi, ab alvina ſentina in ventriculum regurgitantis, redundantiam, unde & vomitus natales ortus ducit. Urget interdum alvi fluxus, interdum ſegnities ejus moleſtat, idq; vel hepatis debilitate alimentum non atrahentis, unde corrumpitur & cum aliis humoribus per alvum excernitur: vel Lienis, in hoc affectu maxime laborantis vitio, qui cum plurimum ſeri attrahat, idipſum ſæpe ad inteſtina amandat, unde alvus fluida redditur eodem vero vel per ſudorem diſcuſſo, vel ad vias urinarias ablegato alvus indureſcit. Faciei præterea indoles, quæ olim florido genarum & labiorum colore florebat, ea modo velut exanguis palleſcit & tumet. Quippe cum quales in corpore luxuriant humores, talis quoq; ſit in cute color, quid mirum, ſi in Scorb. ſanguis non ſit purus, ſed ichoroſis humoribus inquinatus, colorem talem excitari? Strangulationis vero metus, qui nuper admodum cæteris malis acceſſit, meo quidem judicio, non ab Hyſterica quadam affectione dependere videtur, ſed vaporibus ſtipticis & adſtringentibus, œſophagum diſtendentibus & vicinam trachæam comprimentibus, vel tale quid inferentibus, quale pyra quædam & alii fructus auſteri ſolent, unice eſt adſcribendus. Febris tandem quartanæ a-

mula, characteres habens à vulgarium quartanarum characteribus longe diverſos, accedente urina craſſa, ſubrubra, cum craſſo ſubrubro & inæquali ſedimento, indicium Scorbuti ſat firmum præbet. Certe, ſi in præſenti ſubjecto cauſas complicatorum affectuum & intentiones curativas alibi quæſiverimus, operam ludemus proculdubio, nec in curatione profecerimus hilum. Hanc ut bonis avibus cum ægræ nobiliſſimæ compendio & artis commendatione aggrediamur, & ſi Deo viſum fuerit, perficiamus, Herculeo labore opus erit. Nec enim facile eſt, totam corporis œconomiam, Scorbutica cachexia longo temporis defluxu ſumme labefactatam, reſtaurare. Faxit Deus ut res ſint in tali ſtatu qui curationem admittat. Metuendum ſane ne malum in Hydropem lethalem degeneret. Hactenus hoſtem infenſiſſimum variis telis aggreſſi ſumus, materiam morbificam cum præparando, tum leniter per vices evacuando. Sed renuente *Apolline*. Noſtrum eſt, non terreri morbi contumacia, ſed alacriter & conſtanter adverſus ire morbo, habito tamen virium reſpectu, quibus deficientibus nihil incumbit Medico agendum. Nunc ſpecificis & cachexiæ Sorbuticæ peculiari modo adverſantibus litandum. Nolim ægram morbo & laboribus exhauſtam magno medicamentorum apparatu, ipſo quandoq; morbo graviore, onerare: quam ſi dicto audientem habuerim, velim ut ſingulis matutinis devoret tres vel quatuor Pilularum ſequentium Antiſcorbuticarum. ℞.

Pul-

Pulveris radicum Ari compoſiti ℥j. Corticum Winteranæ ℥ſs. Trochiſc. de Abſinth. & Cappar. ana ℥ſs. Semin. Naſturt. Erucæ, ana ℈ij. Cubeb. ℈j. Croci ℈ſs. Salis Naſturtii, Cochleariæ, ana ℈ſs. Extracti Trifolii fibrini q. ſ. Miſce, fiat maſſa ex qua formentur Pilulæ inſtar Cicerum, vacuo ventriculo devorandæ, ſuperbibendo cochlearia aliquot Tincturæ ejuſdem Trifolii, & pergendo in earum uſu non interrupto filo per ſeptimanas aliquot. Si placuerit repetatur eadem doſis quarta pomeridiana. Interim alvum ſemper habeat apertam, quæ ſi ſegnior fuerit, incitetur Pilulis Stomachicis, cum Gummi aut Diatartareis. His adjungat Electuarium corroborativum habito viſcerum naturalium reſpectu, quæ in conjuge tua ſumme ſunt debilitata, adeo quidem, ut coctionis officio rite performando minime fungantur, unde Scorbutica labes indies augetur & incrementum ſumit. ℞ Conſerv. Cochlear. Abſinth. Fumar. Meliſſæ, ana ℥j. Cortic. Citri condit. ℥ſs, Trochiſc. de Rhabarb. Capparib. ana ℈ij. Cortic. Winter. ℥ſs. Spec. Diatr. Sant. Roſat. novellæ, ana ℥ſs. Sal. Cochl. Abſinth. ana ℈j. Syrup. Cochlear. q. ſ. Miſce, fiat Electuar. Continuus itidem ſit uſus ſuccorum Antiſcorbuticorum ex Cochlearia, Becabunga & Naſturtio aquatico, adjectis pomis aurantiis extractorum & ſine coctione depuratorum, quorum vis maxime in ſale volatili conſiſtit quæ coctione evaneſcit & inefficax redditur. Hi non tantum in potu ordinario aſſumantur, ſed & embamma-

matum ſint loco. Et hæc ſunt, quæ Tibi pro tempore nota eſſe volui, ut Tibi idæam quandam morbi, quo nobiliſſima conjux tua miſere, ſi non lethaliter, excarnificatur, proponerem. Deus opt' max' hæc qualiacunq; ſalutaria reddat. Vale, & mihi fave.

Concil. XX.

In Tumore teſticuli Viri cujuſdam, ad Medicum ejus.

PEtis judicium meum in tumore Teſticuli inveterato Viri cujuſdam, opera tua utentis. Velim, ut ejus perfectiorem mihi deſcriptionem indicaſſes, ut explorata & penitus cognita ejus natura & vero ſchemate remedia ei debita à me aſſignari potuiſſent. Ut ut ſit, Tumorem illum, Teſticulum ſiniſtrum obſidentem, non Herniam aliquam, ſed Scirrhum illegitimum eſſe judico, quod doloris ſit exigui, ſanguinem pituitoſum & craſſum, humori melancholico permiſtum, pro vero autore habentem, longo temporis defluxu concretum & induratum. Utrum materia ejus proprio folliculo complectatur, an in ea, quæ immediate teſtis ſubſtantiam ambit, contineatur, ut magnopere ad curationem conferre puto, ſic mihi tanta locorum intercapedine diſſito minime compertum eſt, nec quicquam de eo ex literis tui colligere queo. Cavendum ſedulo, ne humores,

in

in Teſticulum defluentes, rapto ſecum ſanguine inflammationem aliquam periculoſam inducant. Certe tumores hujuſmodi magna cura & diligentia tractandi, quorum ea eſt indoles, hoc ingenium, ut Medicæ manui pertinaciter reſiſtant. Idæa curationis in eo conſiſtit, ut materia fluens à Teſticulo avocetur, & ne iterum fluat ſedulo prohibeatur, illud vero quod confluxit cito, tuto & jucunde conſumatur. Hoc opus, hic labor. Siquidem omnes pudendorum partes, cum ſint ad recipiendos humores promptiſſimæ, facile à toto humores ſuperfluos admittunt, quibus tumor foveri poterit. Siquidem *Hippocratis* decreto magna inter genitalia & partes ſuperiores eſt communio mutumq; conſortium; adeo ut ſæpe tuſſis acceſſione teſtium tumores, & contra tuſſes tumore teſtium ſuperveniente curari obſervatum ſit, ut plurimum tamen hepar & cerebrum ſuperfluitates ſuas in Teſticulos declivos & laxos, atq; ita ad recipiendum promptos, deponunt. Maxima curæ pars in recta victus ratione conſiſtit, qua neglecta, irrita erunt efficaciſſima quæq; præſidia. Ejus minutias Tibi, in arte Medica, exercitatiſſimo, præſcribendas, ægro autem ſedulo obſervandas, relinquo. Reliquum Chyrurgia & Pharmacia ex artis lege perficiendum. Quod illam attinet, ſanguinis è cubito miſſionem, ſecundum rectitudinem adminiſtratam, ſi alia conſenſerint, nec non derivationis ratione, Hæmorrhoidum apertionem utilem fore duxerim, de quo Tibi præſenti cogitandum.

dum. Certe, ut renum & veſicæ vitia Hæmorrhoidum fluore, ſummi in Medicina dictatoris noſtri oraculo, minui conſtat; ita & ſcroti & teſtium fluxiones utilem inde Medicinam & commodum recipere non eſt dubitandum. Si vero quid piam eſt, quod certam tumori deprimendo utilitatem afferre queat, Fonticulus in ſiniſtro brachio & domeſtica dextri cruris tribus ſupra genu tranſverſis digitis affixus parte, maxime proderit. Nolim ægrum averſari hoc remedii genus, ſummopere proſuturum, ſi Deus arriſerit. Duro nodo durus quærendus eſt cuneus. Quia vero in affectu diuturno & inveterato Chyrurgica ſola vix ſuffecerint, iteratis vicibus humorum in corpore ſtagnantium ſaburra ſedulo everrenda erit, quod negotii habito corporis reſpectu, Tu, qui præſens, omnium optime ſuſceperis, cum æger ne de facie quidem mihi ſit notus. Interim ad exſiccandam fluxionis materiam utatur per plures dies decocto Salſæparillæ cum Guajaci modico, quod ut efficacius reddatur, ea commiſceri poterunt, quæ facultatem teſtibus amicam & propriam habent, cujus modi plura paſſim à practicis traduntur. Multum emolumenti ab hoc decocto ſperandum, ſi modo eo hauſto ſudori ſingulis matutinis indulſerit. Quantam enim vim habeant ſudores ad omnes fluxiones conſumendas, unde affectus hic ortus ſui primordia derivat, lippis etiam & tonſoribus notum eſt. Sed inhærendum his diutius, ut cura votis reſpondeat. Etſi vero

in-

internis his remediis tantam fidem habeam, ut externis, quæ ſæpe crudos humores exacerbare ſolent opus eſſe non credam, attamen pro topico laudarim Oxeleum *Galeni* in hoc caſu pluries comprobatum; quod componitur ex duabus aceti acerrimi & totidem Olei antiqui partibus atq; una Lithargyrii, vi pollens emolliendi, attenuandi & deſiccandi, quæ cuncta in hujuſmodi tumoribus requiruntur. Quodſi hoc non placuerit, applicari poterit Emplaſtrum ex Diachyli ſimplicis, & cum Gummi, ana ℥j. addendo Ammoniaci ℥ſs. aut Emplaſtrum de Cicuta cum Ammoniaco, præſertim ſi lapidem Pyritem & Crocum metallorum, penetrandi facultate prædita adjeceris. Atq; hæc ſunt, quæ in hoc difficili caſu conſulenda habui, quæ ut à Deo præpotenti, ſanitatis & ſalutis noſtræ autore, benigne fortunentur, etiam atq; etiam præcor. Vale.

CONCIL:

Concil. XXI.

In calculo pro amico quodam Medicinæ haud ignaro.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ, hoc ipſo gratiores, quod Te à gravi & ſaturnino prorſus morbo quodammodo reviviſcere & ſereniore valetudinis aura frui dextro mihi *Mercurio* annunciarunt. Faxit Deus opt' max' ut hæc Tibi felicitas indies aucta tandem fiat perpetua. Non fidendum hoſti inſenſiſſimo, etſi inducias quaſdam dare videtur, qui ſibi relictus de novo facile claſſicum canet. Latet, ut vereor, in veſica tua calculus confirmatus, tantorum, de quibus querulus es, niſi meum me fallit judicium, cauſa caputq; dolorum. Utrum is à renibus ortus ſui primordia derivet, an vero in veſica primario natalitia ſua obtineat, de eo in tanta locorum diſtantia nihil certi ſtatuere auſim. Illud plerumq; in ſenibus, hoc in pueris fieri conſuevit. Tu melius ab hujus vel illius loci affecti dolore judicabis. Nempe qua ratione in Macrocoſmo aquas quorundam fontium in lapides & ſaxa converti; alias quæcunq; injiciuntur, paucorum dierum ſpatio cruſta lapidem obducere; liquores itidem in quorundam fontium cavernis in gemmas, ſtrias, & Pyramidales columnas concreſcere videmus; pariformi ſane ratione in Microcoſmo, in renibus

bus & veſica calculos coagulari & generare vero ſimile eſt: ſcilicet ut latercularius ex argilla lateres ſingit, quæ tandem in fornace lateritia ignis fervore in lapidem ſiccantur; ita ſpiritus renum lapidificus ex materia diſpoſita & ſucco lapideſcente, alimentorum, ſalino acumine turgidorum, fæculentia genito, imprægnata, in renibus & veſica, tanquam in clibano aut fornace, interna vi & virtute ſua calculos coagulat. Toto cœlo erras, ſi materiam illam mucilaginoſam & pituitoſam, magna copia cum lotio profluam, proximam calculi materiam judicas, quæ veſicæ male à calculo affectæ excrementum eſt, etſi inficias ire nequeam, fieri quandoq; ut cum calculo veſicæ ſubſtantiæ impacto, dolor ei & imbecillitas inducatur, natura rerum parens, errore quodam, ſanguinis humorumq; copiam eo loci amandet, qui cum parti aſſimilari nequeant, majori ſaltem parte in excrementum craſſum & mucilaginoſum convertantur, quemadmodum in fluore albo, mulierculis, præſertim delicatulis, in hoc *Angliæ* Regno familiariſſimo & tantum non Endemio, evenire conſueuit. Cæterum in Senibus, ut omnes fere morbi, præſertim chronici, curatu ſunt difficiles, & eos maxima ex parte ad mortem comitantur, quod ob virtutis imbecillitatem & nativi caloris, omnium in corpore actionum opificis, inopiam concoqui nequeant; ita renum maxime & veſicæ vitia difficulter medicam manum admittunt, quod *Hippocratis* oraculo ſancitum, imo ipſa ſæpe curatio non vacat periculo. Idæa

ejus

ejus diæta, Pharmacia & Chyrugia perficienda, si nihil impedimento fuerit. In morbis enim diuturnis & contumacibus neceſſe eſt ut omnia conſpirent. Diætæ minutias Tibi in arte Medica verſato recenſere ſuperſedeo, ne *Minervam* inſtruere velle videar. Reliqua ſunt duo calculi præſidia, eliminatio ejus per Medicamenta, & per ferrum ſectio. Ultima hæc nullo pacto eſt tuta, quin potius metuendus interitus, quam ſperanda ſalus in corpore ſenili. De priori cum *Mercato*, *Eraſto*, & aliis, non ſine ratione dubito, an ullis præſidjis intra corpus aſſumptis calculus frangi comminuiq; poſſit. Injectiones, quibus Te infauſto *Apolline* uſum eſſe refers, totus improbo, nec ullius ſunt momenti. Cum vero nullum corpus etiam in accuratiſſima victus ratione tam ſit temperatum, ut non plurima colligat excrementa, Senectus quoq; ipſa copioſum ſeroſum humorem & valde nitroſum atq; ſalſum generet, omni ſtudio enitendum, ut humorum in corpore ſtagnantium ſaburra ſedulo per juſta intervalla convenientibus remediis everratur. In eam rem conducet Caſſia, addita Terebinthina in aqua Malvarum lota, de qua antehac, ſemel in menſe aſſumenda. Intermedio vero tempore ſeptimanatim meo quidem judicio magno commodo tuo devorare poteris Pilularum de Terebinthina Cratonis ʒj. vel ij. quæ ad removendam calculi materiam plurimum valent. Fortiora non ſuaſerim. Interim ad comminuendum calculum, ſi forte non ſit nimis durus, optimum

mum eſt decoctum vel ſaltem infuſum Ligni Nephritici in aqua Lactis, vel quod præſtat, Aqua fragorum, ſingulis matutinis & quarta pomeridiana ad ℥v. vini Rhenani vel albi tantillo miſtum, hauriri poteris, à quo admirabili virtute prædito, ſi Tibi commodum accedere perceperis, ei per longum temporis ſpatium non interrupto filo inhærere Te velim. Conducet forte etiam aqua deſtillata contra calculum, qua in multis cum fructu ſum uſus, quam Tibi lubens communicabo. ℞ Nucleorum perſicorum, Ceraſorum, corticum Amigdalarum amararum, ana ℥j. florum Sambuci M. j. infunde in vino Cretico optimo & deſtilla in M. B. ℔iiij. Adde aquæ Saxifragiæ, & Petroſelini, ana ℥j. Syrupi Violar. ℥ij. Miſce, ſi vero hæc, quod nolim, votis non reſponderint, infunde per horas aliquot in aqua fragorum vel decocto radicum Eryngii, vel infuſo ligni Nephritici, Aſellorum contuſorum, Græcis ὀνίσκοι nominatorum, ſub ollis & ſaxis in penu latentium, numero viginti, & expreſſum ſingulis matutinis, purgato prius corpore bibe & mira videbis. Sunt qui pulverem, ut noſti, ex iiſdem præparatis miris encomiis celebrant. Poteris horum centenos aliquot in Alæ tenuis congiis per dies aliquot ſuſpendere & pro potu ordinario uti. Plura non addam niſi vota mea in tuam ſalutem uberrimam. Vale.

Concil. XXI.

Pro puella quadam Cachexia Scorbutica laborante ad Reverendum patrem ejus.

Quod *Hippocratis*, venerandi Medicorum coryhæi, oraculo ſancitum eſt, nullam ætatem ab ullo morbo liberam & immunem eſſe, ſed omnes cujuſcunq; ætatis mortales omnium tyrranidi æque ſubjectos eſſe, quotidiana experientia, rerum fida magiſtra abunde docet, & ipſa recta ratio evincit. Videmus enim morbos graviſſimos non tantum in adultos, ſed & inermes infantulos crudeliter ſævire. Nempe ut fragilis aliqua cymbula, variis agitata procellis, & tempeſtatibus, plurimam admittit, rimoſam undiq; paludem; ita & tenella infantulorum ergaſtula laborioſo per anguſta uteri latibula tranſitu, dolorifica venæ umbilicalis abſciſione, aëris amico calore blandientis cum inclementi permutatione, victus quoq, à naturali & conſueto omnimoda diverſitate, nec non è molli loco in durum, aſperam ſertiſq; conſitam coloniam tranſmigratione, attrita languent & variorum morborum carnificina mareſcunt, & ſæpe ſæpius, quam vix hauſerunt, vitalem auram immature effundunt, ut non ſine cauſa mirari ſubeat ingens illud divinioris ſapientiæ lumen, *Platonem*, *Ariſtotelis* præceptorem, dum omnes morbos ab animo ortus

ſui

ſui primordia derivare affirmat, cum tamen in ampliſſimi hujus mundi Theatri ipſo introitu, longe ante, quam à Deo, conditore maximo, datum eſt animo uti, morbis, cum propriis, tum communibus afficiantur infantes, adeo quidem ut *Græci* olim & *Romani*, de vita & valetudine eorum dubii, non niſi effluxo longiore temporis ſpatio, nomina iis impoſuerint. Etſi vero hæc dulciſſimæ fiilolæ tuæ debilitandæ ſatis eſſe queant, attamen credo me aliam & quidem præcipuam poſſe in medium proferre cauſam, hæreditario quodam jure acquiſitum, coloris ſcil. in album palleſcentem & lividum degenerationis, gingivarum ruboris & putrefactionis, corporis, brachiorum maxime & pedum intumeſcentia, reliquorumq; in literis expreſſorum ſymptomatum. Morbos quoſdam è Semine genitali provenire, quod ſimilem inferat in fœtu morboſam qualitatem, quam ipſum à parentibus emiſſum præ ſe tulerit, autor eſt venerandus noſter è Coo ſenex. Unde fit, ut à morbidis morboſum ſemen prodeat, quod ab omnibus corporis membris genitale ſemen profluat. Conſequi itaq; neceſſe eſt, ut à morboſis parentum partibus morboſum ſemen profundatur. Et hæc eſt cauſa cur Cœſi, Cœſios; Diſtorti, Diſtortos; Phthiſici, Phthiſicos; Scorbutici, Scorbuticos, generant. Cum itaq; Tibi à Deo minus firma valetudo contigerit, conjux quoq; lectiſſima viſcerum naturalium vitio abundet plurimo ſanguine crudo & ſeroſo, qui cum nequeat ob nimiam cruditatem partibus

perfecte assimilari, cachexiæ & quidem Scorbuticæ ansam præbuit: quid mirum, si filiola tua tali sanguine in utero materno nutrita, eundem morbum eandemq; labem contraxit, à qua Hydrops anasarca imminet. Quodmodum insuper auctum esse videtur victu tenellæ hujusmodi ætati inconsueto, & peregrino, cum infantes primis præsertim mensibus lacte materno, non cibo, manu porrecto, nutriri gaudeant. In hoc filiolæ tuæ mellitissimæ gravissimo affectu feliciter curando *Asclepiade*, imo potentiore aliquo numine opus erit; quod *Platonis* suffragio facilius sit irrationales creaturas, quam infantulos hujusmodi tractare. Adhæc tenella eorum corpuscula diætæ Medicamentisq; tum internis, tum externis, & topicis ferendis sunt imparia, imo sepe quæ gustata non sapiunt, imposterum omnino rejiciunt, neq; pro debito gubernari possunt; unde forsan nec *Hippocratis* quicquam de eorum curandi ratione posteritati reliquit. Medici vero in *Ægypto*, ubi quodlibet membrum corporis peculiarem & sibi proprium olim Medicum habebat assignatum, quorum alii Ocularii, alii Dentarii, alii Auricularii, *&c.* nominabuntur, omnem infantulorum curam renuentes, rem totam Naturæ vi emendandam reliquerunt. Nullus tamen credo, Deum, qui sapienti providentia cuncta regit & gubernat, infantulos, morbis maceratos, omni penitus auxilio excluisse. Quin potius eo majori studio & diligentia sunt curandi, quod Conditor rerum maximus, reliqua

liqua animantia, ratione deſtituta, omnibus ab ipſo ortu neceſſariis ad vitam abunde inſtruxit; ſolum hominem in hoc ampliſſimum mundi Theatrum nudum, inermem & imperfectum immiſit, pluribus undiq; impedimentis obvium & obvallatum, ut nec ſine aliorum ope vivere nec quicquam proficere valeat. In hoc dubio caſu, me quidem judice, præſtat anceps remedium experiri, quam filiolam Libitinæ hiantibus faucibus abſorbendam relinquere. In eam rem materia vitioſa in toto luxurians ſedulo everrenda, non obſtante alvo ex ſeſe citatiore à viſcerum debilitate pronata. Huic ſcopo optime conducet Mechoacanna, infantibus maxime conveniens, mirificam vim habens hepar aperiendi & ab hydrope præſervandi, coloremq; lividum emendandi, qui ab obſtructione Hepatis oritur. Poteris ei grana quindecim, adjectis granis v. Rhabarbari ob alvi luxitatem & ad hepatis corroborationem in juſculo aliquo propinare. Evacuato ex artis lege corpore ad ventriculum & viſcera, nutritioni ancillantia, corroboranda & humores abſtergendos atq; per urinam educendos Abſinthium omnem abſolvit calculum, cujus aquam ter deſtillatam ſuper recentem herbam, bis in die vel ſæpius magno proculdubio filiolæ tuæ commodo propinabis. Poteris eam diluere tertia parte aquæ ex lumbricis terreſtribus in M. B. elicitæ, Hydropicis affectibus admodum proficuæ, Sunt, qui commendant aquam, ex nucibus juglandibus recentibus in taleolas diſſectis diſtil-

latam, facharo Canarino dulcoratam, quod insigni cachexiam pellendi vi & virtute pollet. Insisto his, quia vix alia admittet, quæ si non profecerint, laudarim syrupum Riverii è Chalybe præparatum. Interim non intermittenda corroborantia ex Dialacca & speciebus Diarrhodon Abbatis cum sacharo in aqua Naphæ soluto in Tabulas redactis. Velim tandem affigi cauterium in crure, nisi jam factum sit, Hypochondria vero affricari unguento è succis aperitivis. Sed manum de Tabula. Tu quæso hæc in gratiam filiolæ tuæ exarata boni consulas meq; amare pergas. Vale, & salve.

Concil. XXIII.

Ad nobilem quendam Virum de Chalybe.

RAtum est apud omnes in Medicina versatos & in confesso, rationi quoq; consonum, N.V. quod, quæ ex artis lege administrata juvant, eadem etiam non interrupto filo continuata sanare queant, si faustum arriserit *Apollinis* numen. Cum itaq; percipiam haud leve valetudini tuæ à liquoris chalybeati usu accessisse commodum, ejus utiq; repetendi autor sum importunus. Natura, rerum parens, industrius alioquin humani corporis opifex, formavit Tibi Lienem debilem & intemperatum unde totius fundi calamitas. Hinc mihi scite admodum *Trajanus* Imperator Lienem visci nomine

nomine appellaſſe videtur. Non ſecus enim ac diteſcente viſco populus depauperatur; ita creſcente Liene reliquum contabeſcit corpus. Inter omnia vero præſidia nullum occurrit *Marte* potentius, Lieni coercendo imprimis dicatum. Licet enim *Mars* peſſimum audiat *Mortis*, eſt tamen optimum quoq; vitæ inſtrumentum, ut credam in eo totius curationis cardinem verſari. Præterquam enim quod ad viſcerum obſtructiones reſerandas potiores ſibi vendicat partes, eadem etiam inſigniter corroborat. Unde *Scaliger*, *Nihil, ait, ferro potentius aut ſtricta laxare, aut laxa ſtringere.* Nempe hunc admodum partita eſt Natura ſagaciſſima vices atq; operas in iis, quæ condidit, ut idem non ſolum diverſis ſit diverſum ſpeciebus, ſed & eodem in corpore alias atq; alias comparet affectiones. Atq; his quidem facultatibus pollet *Mars*, non occulta aliqua virtute, ſed quia humores ex diminuta ventriculi digeſtione genitos exſiccat, eoſdemq; peculiari quadam agnatione attractos evacuat, tum quod vi Sulphuris penetrante infarctus recludit, idq; in Lienis maxime obſtructionibus. Hoc animadverſum eſt in animalibus quæ apud fabros educata aquæ ferratæ potu exiguos habent lienes. Atq; hæc ideo ſunt à me allata, ne chalybis, tantopere profuturi, tædio afficiaris; ſiquidem ad ſuperandos morbos chronicos & Saturninos longo temporis ſpatio opus eſt, alia cum calumniæ periculo & artis dedecore operam ludet Medicus. Perge igitur bonis avibus, N. V. perge ſedulo in uſu liquoris chalybeati,

& de rebus tuis deinceps bene ſpera. Deus opt' max' adſit conſiliis noſtris atq; omnia remedia reddat ſalutaria in tuam omnimodam ſanitatem, nec omnibus Cræſi divitiis nec auriferi Tagi arenis commutandam. Vale, V. N. & me, quem judicio, quem favore & gratia tua dignum feciſti, eadem ipſa perpetuo fovere velis.

Concl. XXIV.

In Phthiſi pro juvene ſtudioſo.

SI totam ampliſſimi mundi fabricam animo tuo quoquo verſum perluſtraveris, & quæcunq; in ſinu ejus recondita ſunt, aut ambitu ejus cœliq; complexu continentur, libera ſolutaq; mente contemplaveris, *Jovis* omnia plena, miraculis cuncta referta, & in minimis quoq; numen invenies. In hominis vero ſtructura omnibus auguſtius quid deprehendes. Nihil eo admirabilius, cui ſeptem mundi miracula jure videntur cedere, ut eum *Plato*, fideliſſimus *Ariſtotelis* præceptor non ſine cauſa θαῦμα θαυμάτων nominaverit. Dolendum ſaltem & toto pectore dolendum, quod tantum tanti Conditoris opificium, tam concinne & affabre conſtructum, & tam miro artificio fabricatum, noſtra ipſorum inobedientia & divinæ legis tranſgreſſione adeo concuſſum & debilitatum vacillat, ut dictum factum in ſe corrueret, niſi præpotenti

tenti Dei creatoris manu ſuſtentaretur. Uſq; adeo pernicioſa eſt peccati malitia. Ut varios caſus & mille rerum diſcrimina, quibus humana fragilitas indies obviatur, ſicco pede præteream, mille inſuper morborum, vitæ inſidias ſtruentium, phalangibus undiquaq; obvallata impetitur; adeo quidem, ut nobilem ocyus *Arabiæ* felicis phœnicem, quam ullum hominis corpus ſub Lunæ concavo perfecte & integre ſanum inveneris. Nempe, ut nemo ſine crimine vivit, ita nec ullus ſine morbo, in aliis alio in pluribus multiplici & complicato. Et horum quidem delictorum noſtrorum vindices, à Deo, & juſto quidem judicio, mortalibus immediate immittuntur; non pauci hereditario quodam jure ex parentum genitalis ſeminis prava & morboſa diſpoſitione cum vita in natos propagantur; plurimi improbæ victus ratione contrahuntur, ut *Diogenianus* ex iis nos ægrotare, ex quibus vivimus, veriſſime affirmarit. Ex omnibus vero membris, caput, ſapientiæ & rationis domicilium, pluribus & gravioribus affligtur morbis, cum primaria affectione, tum communis lege conſortii, aliiſq; partibus ſubjacentibus uberem & fœcundam miniſtrat morborum cauſam. In horum cura quiſquis peritus fuerit, Medici Phyſici divino honore dignandus, Venerandi quoq; è Coo ſenis encomio celebrandus, quo ait, ἰατρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος Medicus Philoſophus Deo æquiparendus. Imprimis vero jugi catarrhorum defluvio tentatur, unde in diſpoſitis ferinæ tuſſis fomes & cauſa

ſup-

ſuppeditatur, à quo in molle, rarum & corruptioni obnoxium pulmonum parenchyma depluo, imminet teneræ, mollis & laxæ partis corruptela, quam funeſta tabes excipere ſolet. In tali periculo verſari videris, amice optime, niſi *Apollinis* tibi numen fauſtum & propitium affulſerit. Cum enim maternus ſanguis præcipuum ſit fœtus alimentum, & ſecundaria procreationis origo, plerumq; accidit, ut plus labis ex matre contrahat, ſive corporis habitum, ſivi animi mores ſpectaveris. Cum itaq; Matre phthiſi enecata ſatus ſis, cui ipſa corporis figura ac ſtructura perquam ſimilis exiſtis, & alii etiam ex familia tua phthiſi perierint, quid mirum ſi tabida ſtirpe ſatus ejuſdem quoq; labis hæres eſſe videaris? Id quod reverendus è Coo Senex ea ratione evenire ſtatuit, quia genitale ſemen ab omnibus corporis partibus manans, efficit, ut ex podogricis podagrici, ex calculoſis caculoſi, ex phthiſicis phthiſici generentur, tali nimirum charactere in ſemine impreſſo, qualis in iis, unde emanat, partibus, inſitus fuerit. Ad hæc Natura rerum parens, induſtrius alioquin humani corporis opifex ex dictis cauſis effinxit tibi meliori fortuna digno, viſcera intemperata & inæqualia; Hepar quidem, gratioſi humoris fontem, fervidius; Cerebrum, in quo ſacram Pallacis arcem poetæ locant, debile & præhumidum; Pulmones quoq; cordis flabella, raros, laxos, teneros & omnino debiles inter malleum quaſi & incudem locatos, tantorum cauſa caputq; malorum, quæ in ergaſtulo tuo ſuſtines,

ut merito quiſpiam dubitet, cum *Plinio*, locupletiſſima illa, velut alterum copiæ cornu, veterum autorum Bibliotheca, melior ne tibi mater, an triſtior fuerit noverca Natura. Caput ſublime, cerebri propugnaculum, amplum in ſe continet cerebrum, ſubſtantia medulloſum, nativo temperamento frigidum & humidum, & propterea præ aliis animalibus natura ſua Catarrhis obnoxium. Nam copioſa medulla copioſum requirit alimentum. Ubi vero plurimum alimentum, ibi & plurimum ex neceſſitate excrementum. Cumq; pituitoſo alatur ſanguine, maximam inſita & propria natura ex alimenti ſuperfluis ejuſdem indolis excremento um copiam congerit. Sed & cum caminus ſit univerſi, cucurbitæ inſtar corporis trunco inſideat, ſorbens trahenſq; ab hepate venoſoq; genere omnis generis anathymiaſes, ex *Hippocratis* ſententia, fieri nequit, quin vaporibus oppletum & aſſiduis eorum hauſtibus velut inebriatum, ſupervacua in cerebre adaugeat. His omnibus accedit nativa cerebri debilitas, qua ſit, nequeat alimentum, alendo cerebro deſtinatum, ex naturæ modo conficere & pro debito concoquere, nec rurſus ſuperflua inde nata ſpirituum & nativi caloris vi conſumere aut diſſipare, præſertim cum ab hepate & venis nova & copioſior, quam expediat, materia ſubminiſtretur. Scilicet, quo modo nubes in aëre aliquandiu retinentur, & niſi à calore ſolis autaſtrorum vi conſumantur, in pluvias & imbres diſſolvuntur, fitq; copioſius aut parcius aquæ defluvium

vium pro cauſæ magnitudine; pariformi ratione cum debile caput, ſpirituum & nativi caloris inopia humiditates ſuperfluas cerebri conſumere & diſcutere nequit, jure hoſpitii retinentur aliquandiu, donec vel quantitate vel qualitate expultricem ſtimulant & retentrice ſuperata, qua data porta in pulmones, natura ſua debiles, præcipitantur, magno eorum corruptionis & totius corporis periculo. Nempe idem in corporis œconomia accidit, quod in Oligarchia frequenter accidere ſolet, ut potentiores opprimant imbecilliores, in eoſq; totum onus deponant. Ita dum ſingula membra ſibi conſulunt, paulatim univerſa pereunt. Et hæc eſt idæa affectus, cujus tyrannide imo pectore ingemiſcis, cui ex artis lege curando herculeo opus eſt labore & induſtria. Nam difficillimum eſt, ſi non impoſſible, morbos ex ſemine & ſanguine materno hæreditario jure pullulantes, funditus eradicare. Quia tamen multi ex maximis morbis præter Medicorum opinionem ſæpiſſime liberantur, age noſtro fungamur officio in oppugnando fortiter herculeo morbo & ſucceſſum Deo committamus, qui curat omnes languores noſtros & vitam de interitu redimere ſolus novit. Auſpicanda cura evacuatione, quæ ſub ſe continet phlebotomiam, minorativa, fonticulos, hydrotica & alia. Venæ ſectio autumni initio ad corrigendum ſanguinem & hæmoptoeos præventionem non ſine commodo tuo adminiſtrata fuit. Eandem cum Zephyris & hirundine prima repetendam ſuaſerim, niſi

effœtæ

effœtæ morbo vires obſtiterint. Eodem tempore inſtituatur purgatio leniſſima ex ptiſana laxativa cum ſena, tamarandis & caſſia conflata, additis ſyrupo de Cichorio cum Rhabarbaro, ſyrupo roſarum ſolutivo & Manna. Hæc ptiſana clarificata repeti poterit, ſi viſum fuerit. Uſui quoq; erunt pilulæ de ſuccino interpolatis diebus aſſumendæ. Fortioribus minime locus, & improbant practici evacuationes in morbis pectoralibus à Catarrho oriundis, quod nihil faciant ad coctionem, adhæc non evacuent materiam in pectore collectam, nec derivent etiam, cum humores potius commoveant: Inter omnia vero remedia fonticuli plurimum conferunt emolumenti cum humores à capite ad perpendiculum in pulmones depluos, divertendos, tum & Catarrhi materiam exhauriendam: Ille in brachio tuo ſiniſtro impreſſus, huic intentioni vix ſufficit, plus juvabit in cervice inter primum præciſe & ſecundum ejus ſpondylum affixus; vel bini in humero facti, quibus multi vitam protraxerunt. Evacuata ex artis lege materia Catarrhali cerebrum roborantia & exſiccantia tam inferna, quam externa, erunt utiliſſima, minime omiſſis, quæ materiæ in pulmonibus collectæ expectorationem & pulmonum corroborationem reſpiciunt. Omnibus fere intentionibus curativis inſervit decoctum ligni Guajaci, quo ſe nonnullos Phthiſicos deſperatos & incipientes plurimos ſanaſſe affirmat celeberrimus *Crato*, trium Imperatorum Medicus.

Ex-

Exſiccat enim ſine inſigni calore, ſanguinem purificat, putredini reſiſtit, caput quoq; & pulmones laxos firmat & corroborat, cui ſ& Pectoralia ac Cephalica incoqui poterunt. Quodſi à calore ejus eſt metus, adjectis Chinæ radicibus, vel aliis temperari poterit. *Riverius* ex imitatione *Roderici* à Fonſeca laudat decoctum Santalorum, quod non ſolum in curatione Phthiſeos incipientis vel inſtantis, ſed & in diſtillationibus, ſalſis præcipue & tenuibus, in diuturnis etiam ſanguinis profluviis, ab illius æſtu productis miranda præſtare affirmat. In particulari caput corroborant morſuli ſequentes à multis laudati, defluxioni quoq; dicati. ℞ Conſerv. Roſar. rubr. ℥ſ. Semin. Coriandri præparat. ℥ij. Nucis moſchat. Olibani, ana ℥ſ. Maſtich. Cubebar. ana ℈j. Cornu Cervi uſti præparat. Succini albi præparat. ana ℈ſ. Sachar. in aqua Ceraſorum ſoluti ℥iij. Miſce, fiat confectio in rotulis, duarum drachmarum pondere ſomni hora devorandis. Externe applicetur capiti raſo Emplaſtrum ſuſpenſorium, cerebrum inſigniter corroborans ex maſſa Emplaſtri de Betonica & contra Rupturam, additis gummi Elemi & Copal, Succino multo, pauco quoq; pulvere Caryophillorum & Nucis moſchatæ exceptis Liquidambar & Balſamo Peruviano Interim & Catarrho intercipiendo, ſi prædictis non ceſſerit, utile erit Diacodium, ſub lecti introitum Cochlearis menſura aſſumendum, vel ejus loco ſubſtituatur ſyrupus Papaveris rheados, vel pilulæ

non

non vulgares de Styrace per intervalla tuſſi urgente hora decubitus exhibendæ. Ego ſæpius influxione tenui exhibere ſoleo Syrupum Papaveris albi in emulſione vel cremore hordei nocturno tempore, in quo ſatis liquido drachmam aluminis puriſſimi diſſolvo. Hoc Medicamentum refrigerat, ſomnum conciliat & fluxionem inhibet. His tandem accudenda bechica & pectoralia gratiora. In eam rem conducet Syrupus ex profeſſo præparatus cum ſucco carnium, cancris, limacibus, pulmonibus Animalium, Paſſulis, Jujubis ; Seminibus Melonum, Cucurbitæ, Malvæ & Bombacis in Hydro melite dilutiſſimo coctis, decoctio poſtea per colum acta, cum albumine ovi depurata & addita ſufficiente quantitate ſachari Criſtallini & Penidii recentis in Syrupum redacta, ex quo poterunt vel Julapia cum aqua pectorali reſumptiva vel Ecclegmata concinnari. Cui remedio ſuffecerit Tabellas adjungere ex pulpa radicis Althea, Tinctura Liquiritiæ *Hiſpanicæ* cum aqua Tuſſilaginis extracta, adjectis aliquot florum vel Lactis Sulphuris rite parati, necnon Ambræ Gryſeæ, granis aliquot, ſacharo Criſtallino exceptis & mucilagine gummi Tragacanthi ſatis liquida in aqua Roſarum fragrantiſſima extracta ligatis. *Quercetanus* Syrupum ex co heredæ terreſtris miris encomiis celebrat & non tantum ad Phthiſin diſpoſitis, ſed ipſo jam actu Phthiſicis mire prodeſſe affirmat, ut eo multos deſperatos & incurabiles ægrotos reſtituerit. Poteris huic ſyrupo flores Sulphuris

in

in modum Eclegmatis permiſcere, & cum bacillo Liquiritiæ de eo lambere, vel cum paucis guttulis rubini ſive balſami Sulphuris dilutum abſorbere. Alii ejuſdem herbæ aquam ſtillatitiam, ſacharo roſaceo dulcoratam, commendant, in pulmonum tartaro incidendo & reſolvendo, partiq; laxæ firmando efficaciſſimam. Poſſem plura adjicere, ſed hæc ſufficiant, ne ventriculus à pluribus gravetur, qui quantum fieri poteſt, præſervandus. Interim obſervanda proba victus ratio, qua neglecta irrita erunt efficaciſſima quævis remedia. In victu vero cavendum à ſalſis & acribus. Cibi ſint lenti, quales ſunt nervoſæ carnium partes, pedes, aures animalium, & ejus generis alia bene cocta. Gelatinæ etiam ex his, ſed ſine aromatibus, confectæ. In uſum veniant carnes juvenes minime excrementoſæ, probi vero ſucci & concoctu faciles. Proſunt Cochleæ bene coctæ vel potius earum juſculum. Etſi enim Cochlearum caro ventriculo grata ſit, tenacis & plurimi nutrimenti, unde & Hecticis à Medicis præſcribitur; Eſt tamen difficilioris concoctionis, unde valentem requirit ventriculum longamq; in eo moram: inſuper craſſum, frigidum & atrum ſanguinem generat, obſtructioneſq; parit. Proſunt hordeum & oryza in lacte cocta. Ex fructibus conceduntur Amigdalæ dulces, Ficus, Uvæ Paſſæ, Pineæ, Piſtacia, Pyra, Cydonia. Brodia cum radicibus Chinæ decocta multarum ſunt virium. Averſandus omnis potus fortis & calidus. Cereviſia ſit parum vel omnino non lupulata.

lata: Ala Medicata cum radicibus Chinæ, Tuſſilaginis & Symphyti majoris, addita Mellis portiuncula eſt ſingularis. Nimis longum foret ſingulas diætæ minutias recenſere, ſufficiat generalia indigitaſſe. Cuncta ubi cœperint fronde virere nova lacti Aſinino denuo inhærendum erit. Sed quo feror? Jam tempus eſt, ut vela contraham. Hæc ſaltem Tibi amiciſſimo innoteſcere volui. Deus opt' max' à quo omnis ſalus, hæc Tibi ſalutaria reddat. Vale.

Concil. XXV.

In Bubonibus ad virum quendam nobilem.

N. Vir. Læſo graviter infelici lapſu dextri pedis exteriore talo male me habeo, nec niſi baculo inixus inambulare valeo, ut me, ſi videres, claudicantis è Lemno *Vulcani* genuinam ſobolem jurares. Etſi vero inde crudeli dolorum carnificina efflictim emacerer, attamen malum in ſe grave & dolorificum hoc ipſo me acerbius excruciat, quod per id non licet erga amicos, ut volo, humanitatis & officii mei obire munia. Adeo durius eſt inhumanum fieri, quam infelicem. Inprimis intimis angor ſenſibus, quod à Te vocatus, ut in dubio morbo, in vicinia veſtra inter ſanguine Tibi junctos, oborto, qui vobis metum alicujus peſtilentialis luis incuſſiſſe videtur, judicium meum darem, adeſſe Tibi atq; operam meam coram locare non fuit conceſſum. Nunc exhibita mihi mor-

bi & ſymptomatum, eundem comitantium, hiſtoria & ſchemate quodam, meam de ipſius indole & ingenio ſententiam, ut petitioni tuæ morem geram, breviter ſed candide declarabo. Et ne longius abeam, tumores iſtos in inguine prope pubem, & in perinæo juvenis, necnon alium puellæ ſub axilla, & aliorum etiam ejus loci, obortos, calidæ cujuſdam fluxionis ſobolem eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe duco. *Hippocrates*, venerandus Medicorum coryphæus, inguina Bubonum nomine inſignit, & glandularum eo loci phlegmones ſeu inflammationes eodem nomine appellare ſolet. Tales ſunt in dictis perſonis pullulantes, renitente tumore conſpicui, rubore perfuſi, doloris æſtu efferveſcentes, in principio febriculam quandam, Ephemeræ ſeu diariæ æmulam, comitem nacti. Horum aliqui ſunt ſimplices & benigni, minime contagioſi: Alii vero maligni, & hi vel peſtilentiales, vel venerei. Quod eos attinet, de quibus conſulor, eos nec venereos eſſe, nec peſtilentiæ characterem præ ſe ferre judico. De illis non eſt ut aliquid addam. De his vero, etſi in peſtilenti conſtitutione, cœlitus nata, bubones ſemper ſint ſuſpecti, attamen credo me ſatis firmas poſſe in medium proferre rationes, nullam ineſſe tumoribus iſtis peſtilentis contagii notam. Nulla graſſatur in vicinia peſtis; nulla ejus, quod ſciam, ſparſa ſunt alicubi ſemina; nullum interceſſit cum infectis rebus, vel perſonis commercium; tumores ipſi non ſunt lethales, nec gravia, qualia in peſte con-

conſpiciuntur, adſunt ſymptomata. Quam primum enim de communi morborum cauſa peſtiferæ luis ſeminaria orta per pulmones aut alios quoſvis meatus in arterias & venas irrepſerint, & ſanguinem coinquinarunt, tum primum ſtomachus nauſeat, & cibum averſatur, aſſumpta eructat, caput dolore affligitur, urgent vigiliæ & deliria, in aliis ſopores, & comatoſi affectus contingunt, animi deliquia accidunt, univerſa corporis moles laſſitudine & ſomnolentia torpet, calor intra præcordia æſtuat, longe tamen mitior, quam in aliis febribus continuis per artus, velut in Hectica, expanditur. Nec enim tanta humorum putredine, quanta in ardente Febri, Cauſone dicta, ſuccenditur. Virus quippe peſtilentiale abſq; ulla putredine necare ſatis eſt. Unde accidit, ut plerumq; pulſus & urina ſint in principio ſanorum ſimillima. Sed lenta illa febris vaporulentis de lue virulenta vaporibus, quavis putredine pernicioſioribus, cor, vitæ fontem & domicilium, obſidet; unde pulſus arteriarum exilis & imbecillis diſpari motus tempore diaſtolen ejus & ſyſtolen metitur. Si vero cordis robur & vires conſtiterint, expultrices vegetiores, tum noxios humores vel in principio adhuc crudos & inconcoctos ad emunctoria protrudit, unde bubones peſtiferi & anthraces, carbonum more urentes, nigri, petechiæ quoq; enaſcuntur, per quos natura vel ſe exonerat, vel tanquam viribus exhauſta in criſis conflictu ſuccumbit. His & aliis ſignis pathognomonicis, quæ ſunt inſe-

parabiles morborum comites & accidentia, ſubſtantialiter, ut *Galenus* ait, illis adhærentia, peſtis ab aliis morbis diſcernitur. Horum cum nulla ſe in propoſito caſu manifeſtent, ægros à peſtilentis contagii ſuſpitione immunes & liberos judico. Facile tamen fieri poteſt, ut tumores hujuſmodi in peſtilenti conſtitutione à benignitate ſua degenerent & malignam naturam induant. Ordinarii ſunt iſtiuſmodi bubones & mihi in praxi mea haud infrequenter occurrerunt. Vidi, quibus labore nimio defeſſis, longo itinere & inconſueta equitatione laſſatis, artuum dolore gravatis, pruritu, ſcabie & ulceribus obſeſſis; & aliis, tumores iſtiuſmodi eruperunt, ſubſiſtente nimirum materia copioſa, naturæ ſibi conſulentis vi ac robore ad brachia & crura expulſa, in inguinum & alarum glandulis & adenibus, recipiendis humoribus accommodatiſſimis. Tumores vero iſti ortus ſui primordia derivant à vitioſis ſuccis, præcipue vero à ſanguine vitioſo, ex mala victus ratione in corpore congeſtis qui poſtea à natura onere ſe levante, virtute expultrice co-operante, qua data porta, nunc in corporis ambitum, nunc ad principum partium emunctoria amandantur. Nempe quod in Oligarchia contigit, ut potentiores opprimant imbecilliores, in eoſq; totum onus deponant, idem in corporis œconomia contingit. Natura ſiquidem, provida rerum mater, ſemper cuſtodit & deſiderat principium membrorum ſalutem, Et hæc eſt tumorum dictorum idæa, in quorum cura, cum non ſint

per

per modum criſeos, præcedente alio morbo, ſed ſponte ſua oborti, ſanguine cum copia ſua, tum pravitate naturam ad expulſionem irritante, vena à principio ſecta profuiſſet, humoribus etiam accomodatis in eam rem præſidiis ſedulo expurgandis inſudandum erat. Quibus neglectis, quid mirum, ſi dolores ingraveſcunt & cura protrahatur? Quoad partem affectam, ſolet ſanguis influxus evacuari repellentibus & digerentibus. Illa non ſunt tuta, Metuendum enim, ne fluxio ad partes principes retrocedat. Hæc vero ruptis jam ſponte tumoribus vana & minime neceſſaria. Urgente ſaltem dolore Anodynis utendum, poſt ulcus ipſum probe mundandum, carne implendum & cicatrice obducendum, quod Chirurgo preſenti relinquo. Cavendum ſaltem, ne ulcus in fiſtulam degeneret, quod facile contingit, niſi ex artis lege tractetur. Sed de his ſatis. Scabie & pruritu detentus, ſecta cubiti vena, purgetur Apozemate ex radicibus Oxylapathi, Fumaria, Sena, Liquiritia & Prunis damaſcenis compoſito, adjecto ſyrupo Roſaceo ſolutivo, poſtea vero utatur ſero lactis Fumaria medicato. Hæc Tibi, V. N. nota facere volui, quæ ut æqui boniq; conſulas, oro rogoq;. Deus à quo omne bonum, Te cum tuis ſalvum eſſe velit. Vale, & me favore tuo, ut facis, amplecti perge.

CONCIL. XXVI.

In achoribus & alvi fluxu pro puerulo quodam ad nobiliſſimum parentem ejus.

HOmo mundi miraculum & expreſſiſſimum Dei max' ſimulacrum, cujus cauſa rerum natura parens omnia alia genuiſſe videtur, magna ſane mercede contra tanta munera, vitam à lachrymis & ejulatu auſpicatur, nec alio modo quam vagitu opem & lactis alimoniam poſcit. Idq; non aliam ob cauſam, ut cum *Plinio*, locupletiſſima illa, velut alterum copiæ cornu, veterum authorum Bibliotheca, loquar, quam quia natus eſt, ut jure quis cum eodem dubitare poſſit, meliorne mater, an triſtior noverca fuerit Natura. Ut varios caſus & ſexcenta rerum diſcrimina, quibus homo, audaciſſimæ & cuncta confidenter molientis Naturæ decus, in vita obviatur, ſicco pedo præteream; mille inſuper morborum phalangibus undiq; obvallatus agminatim impetitur & oppugnatur, ab ipſo ſtatim ortu vitalem auram, quam vix hauſit, denuo effuſurus, niſi præpotenti Dei opt' max' manu ſuſtentaretur. Uſq; adeo perniciosa eſt peccati malitia, in ipſos quoq; recenter natos infantulos ſæviens. Hujus ſiquidem culpæ accidit, Apoſtoli ſuffragio, quod multi ſunt debiles & invalidi, obdormiunt etiam multi. Ab his peccatorum noſtrorum vin-

vindicibus ſeveriſſimis, ſed & juſtiſſimis, ut nulla ætas immunis & libera exiſtit, ita miſellis infantulis quidam magis ſunt proprii & familiares. Eos *Hippocrates*, ſummus in Medicina dictator longa ſerie in aphoriſmis ſuis enumerat, in quorum cenſu ſunt alvi profluvium & capitis ulcuſcula, Græcis ἀχῶρες nuncupata, dentitionem ut plurimum comitantia, quibus filiolus tuus moleſtatur. Cum dentes alveolis ſuis erumpunt, à dolore maxime, vigiliis & aliis, quæ tenella iſta ætas tunc temporis patitur, calor nativus, omnium in corpore actionum opifex & præcipuum coctionis organum, à ventriculo avocatus, coctionem turbat & alimentum corrumpit, unde alvi fluxus natales ortus derivat. Achores vero caput fœdantes, humorum mixtorum, partim tenuium, ſeroſorum & mordacium, partim vero craſſo ſucco præditorum & omnino ſalſum atq; nitroſum quid in ſe continentium, genuina ſunt ſoboles. Hi in utero, ſanguinis materni, quo aluntur, impuritate, necon lactis, quo à nutrice nutriuntur, vitio collecti, tandem à Natura, rebus ſuis conſulente, à partibus internis in ambitum corporis protruduntur. Cæterum, *Ariſtotelis* fidiſſimus præceptor, *Plato*, bruta, inquit, & ratione deſtituta animalia, infantulis longe facilius tractari poſſe; quod tenella eorum ergaſtula & facile diſſolubilia diætæ Medicamentiſq; cum internis, tum topicis ferendis ſint imparia; imo ſæpe, quæ guſtata non ſapiunt, impoſterum plane rejiciunt. *Ægyptii* vero omnem infantu-

lorum curam remuentes rem totam Naturæ vi emendandam reliquerunt. Quaſi vero Deus infantulos in die natali nudos, inermes, & inopes ex tepido matris utero in gelidam humum, vix de paleis co-opertam ſtragulis, poſternat, & tanquam naufragos ad vitæ ærumnarum ſcopulos elidat nudos, omni ope deſtitutos. Quin potius eo majori ſtudio tractandi, quod nec ſine aliorum ope vivere nec quicquam proficere valeant. Ne itaq; deſim filiolo tuo, velim, ut quibus fieri poteſt præſidiis dentitio ejus facilitetur, qua procurata facile concidet alvi fluxus, inde oriundus. In eam rem maxillæ fomententur Aqua calida, in qua cocta ſunt Malva Althea, flores Camomillæ & Anethi. Gingivæ vero fricentur melle butyro inſulſo permiſto aut pinguedine gallinæ, vel mucilagine ſeminum Altheæ & Cydoniorum vitello ovi mixta. Quidam miris encomiis celebrant ſanguinem è criſta gallinacei recentem, quo ſemel tantum vel bis ad ſummum inungunt gingivas. Non video tamen, cur inunctio reiterare nequeat. Interim Nutrix obſervet bonam victus legem, ſedulo ab omnibus calidis abſtinendo, ne febris accendatur. De alvi laxitate non eſt ut ſis ſolicitus, niſi naturæ limites exceſſerit. Quibus, cum dentes erumpunt, *Hippocratis* oraculo, alvus crebro dimittit, minus convulſione tentantur, quam quibus raro ſubducitur. Quodſi igitur filiolus tuus alvi fluxum bene tulerit, minime ſiſtendum duxerim, cum humores in ventriculo corrupti per eum commode evacuentur,

qui

qui detenti gravia ſæpe mala excitare ſolent. De Achoribus in capite efflorescentibus idem judico. Siquidem ad ſecundam valetudinem faciunt, cum natura vitioſos humores è partibus internis ad cutem propellat, & ideo, ſi evaneſcunt, infantes in febres & alios morbos incidant. Et obſervarunt Practici, infantes ab hac ulcuſculorum eruptione ab Epilepſiæ & Convulſivis motibus immunes reddi. Sanantur fere ſponte ſuæ ætatis progreſſu. Tantum itaq; obeſt, ut hoc malum tolli, ut potius expelli magis velim Aqua & Syrupo de Fumaria, imo & Diaphoretico Antimonii fixo & ſimilibus. Ipſum quoq; corpus purgare velim, niſi quod alvus jam ſatis fluida exiſtit. Interim Nutrici purgans Medicamentum exhibendum ſuaſerim. Quodſi vero ulcera cruſtoſa fiant & cutem erodant, ut Tinea præcaveatur, aut faciem deforment, ablatis primo pilis lavetur caput decocto radicum Oxylapathi, Malvæ & Hordei, inungatur poſtea Balſamo Sulphuris, qui hæc & ſimilia ulcuſcula cito tutoq; tollere ſolet. Sunt, qui Camphoram ſuper candens ferrum aduſtam & pulveriſatam ulceribus inſpergant & certiſſima experientia comprobatum habeant. De ablactatione nullum Conſilium ſuſcipiendum antequam filiolus tuus perfectum fere dentium, vel ſaltem aliquorum numerum adeptus fuerit. Si citius ablactetur, cibos ſolidiores ob dentium defectum maſticare non poterit, quod cum in adultis incommodum ſit, & inde difficilis in

ven-

ventriculo fiat coctio, ſi cibus in ore miſticatione minime præparatus ingeratur, multo id certe magis in infantulis accidit. Et cum infantes dentitionis tempore febribus, gingivarum pruritui & doloribus, aliiſq; ſymptomatis ſint obnoxii, periculum eſt, ne ablactatione mala iſta augeantur. Ubi dies elongati fuerint & Veris ad nos internunciæ revolarint hirundines, ablactatio felicius procedet. Interim ſenſim aſſueſcat cibis, nec ſubito alieni cibi offerantur, cum omnis ſubita mutatio, *Hippocratis* teſtimonio, ſit periculoſa, & cibos etiam bonos & laudabiles quibus minime aſſuetus eſt, male ferat homo. Sed hæc Tibi raptim in filioli tui dulciſſimi gratiam exaratu ſufficiant. Tu vero vale & me favore tuo amplecti perge.

Concil. XXVII.

In Scorbutico quodam Viro ab inappetentia de ſingultu gravi querulo.

TRaditæ mihi ſunt dextro *Mercurio* literæ tuæ humaniſſimæ, quibus quod ſtudia mea qualiacunq; uſq; adeo grato animo probas, facis tu quidem abundantia quadam amoris ut & grata ſint ea, quæ prætermiſiſſe piaculum foret, nullo thure expiandum. Amo Te & vacillanti valetudini tuæ quam optime conſultum cupio. Qua in re ſi quid poſſum, quod ſentio quam ſit exiguum, avidiſſime inclinantem

tem genium meum amplectere, & quicquid in tuum venerit compendium, quantum quidem in me eſt, de me Tibi confidenter promitte: Cæterum gratulor Tibi de recuperato ex parte ventriculi tono. Huic ſane coquo ſi male fuerit, totum facile trahitur in malignitatis conſortium.

Hinc à *Quinto Sereno.* Medico & Poeta celeberrimo, haud inconcinne Regis nomine inſignitur.

Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contra ejuſdem franguntur cuncta dolore.

Quod vero hac de cauſa minime merearis Scorbuticus denominari, toto cœlo erras. Certe ſi morborum & ſymptomatum, de quibus es querulus, σύνδεσμων & farraginem, imprimis vero gingivarum laxitatem & intumeſcentiam ſedulo conſideraveris, vel lippis ipſis & tonſoribus facile idipſum innoteſcet. Te ſcil. Scorbutica labe, eaq; confirmata, inquinatum eſſe. Hæc multorum capitum Hydra quibus telis ſit debellanda, nuper admodum ample Tibi ſignificavi, quæ jam repetere ſuperſedeo, ne crambem coctam recoquere velle videar. Tuum eſt præſcriptis ſedulo inhærere, obſervato eorum debito ordine & tempore, non interpolatis remediorum aſſumptionibus, ſed continuo eorum filo, quod ſi interrumpas, oleum & operam Te luſiſſe crede. Imprimis vero Antiſcorbuticis præſcriptis litandum, quibus neglectis nihil effatu dignum feceris. Nunc ſaltem

de

de Singultu, qui Tibi admodum moleſtus eſt, pauca adjiciam, cuiq; tantum Tibi quandoq; negotii faceſſit, ut ab eo in lipothymiam incidas. Periculo non vacat ſymptoma hoc irritatæ facultatis expultricis, quod orificio ventriculi moleſtum eſt excutere nitentis, quod offendit. Ejus proculdubio cauſa eſt vapor quidam à minera Scorbutica ad ventriculi orificium elatus, vel etiam humor aliquis ad ventriculum confluus, illumq; malignitate ſua vellicans. Malum hoc adeo ſæpe contumax eſt, ut ordinariis remediis vix cedat. Si meo apud Te Conſilio locus, ſuadeo, ut ante omnia everratur ſtomachus. Id facere validiori Emetico, præſertim ſtibiato, nolim, cui nec tu, nec morbus ſunt ferendo. Malim interpoſitis duobus diebus poſt largiorem cœnam & liberaliorem omnium ingurgitationem, ſi ventriculus facile ſubvertatur, elapſis duabus horis, adactis in fauces digitis, aut penna, vomitum moveri, qui multo facilius ſuccedet, & ea quæ vix aliud Emeticum educet. Quodſi hic vomendi modus votis non reſponderit, poteris ventriculi ſaburram leni aliquo Emetico, ceu vitriolo albo depurato vomitivo, everrere, præparatis prius humoribus. Ab hoc remedio maximum Tibi commodum acceſſurum ſpero. A fortioribus abſtinendum duco, ne ventriculi vis inferatur & humores Medicamento commoti majori impetu in eum confluant. Abſoluto hoc everriculo inſtituatur lenis purgatio infuſo Rhabarbari, Senæ, & Agarici, cum

cor-

corrigentibus, in aqua Abſinthii facto, addita Manna & Syrupo Roſarum ſolutivo. Quodſi pilulæ magis arriſerint, petere poteris à Pharmacopœo noſtro doſin pilularum Benedictarum noſtrarum. Quod ſi his malum non ceſſerit, communia remedia ſunt *Timor*, Singultum placans; continere etiam fortiter Spiritum; colluere fauces frigida contracto ad interiora calore vel obtuſo ſenſu; irritare ſternutationem, ut ſuadet *Hippocrates*; & compreſſo utrinq; ad latera medio digito dextro, & alia. A quacunq; vero cauſa ſingultus natales ortus derivet, ſive ea ſint cibi primis qualitatibus vel acrimonia quoq; lædentes; vel Medicamenta, in quorum cenſu Piper etiam numeratur; ſive humores, ſive vapores, ſequens *Foreſti* Julapium ſæpius hauſtum, eum quaſi miraculo quodam ſedat, à me in multis probatum, quod ideo Tibi commendatum eſſe velim. ℞ Hordei mundi, M. j. Semin. Aniſi, Fœniculi, Anethi, ana ʒj. Florum cordialium p. j. Seminum 4 Frigidor. major. & Papaveris albi, an. ʒjſs. Seminis portulacæ & lactucæ, ana ʒiſs. Liquirit. raſ. ʒiij. Coquantur in aqua communi pro ℔j. quæ coletur & Aromatizetur ſpec. Diatragac. frigidi, Diarrhodon Abbat & Diatrion Santal. ana ℈j. addendo Syrupi Violarum ℥jſs. Syrupo Acetoſitatis Citri & ex infuſione Roſarum Rubrarum, ana ℥j. Miſce & utere ſæpius. Quoad Topica, Caſtoreum adalligatum cito tollit ſingulum. Ventriculo vero apponatur Emplaſtrum ex medulla panis

Furfur.

Furfur. ℥iiij. Torrefiat & pulverizetur, adde ſucci Abſinthii & Menthæ, ana q. ſ. ad incorporandum pulverem, deinde adde Nucis moſchatæ, ℥j. Miſce, Conducet itidem ventriculi fotus cum Stomachicis cauſæ morbificæ accomodatis. Sed hæc ſufficiant, ne Tibi durius penſum injungere videar. Hoc ſaltem addam, ut his omnibus adjungas Antiſcorbutica, de quibus antehac, quibus neglectis parum aut nihil proficies. Faxit Deus opt' max' ut hæc Tibi ſint ſalutaria, à quo ſolo & corporis & animæ ſalus expectanda.

Concil. XXVIII.

Pro juvene quodam à tertiana notha liberato ad obſtructiones recidivam minantes tollendas.

INter morborum Iliada corpora noſtra immenſa phalange undiq; obvallantia, febri nullus occurrit cum frequentior, tum periculoſior. Unde febrim ceu maligniſſimam & ſæviſſimam luem, ne noceret, *Romanos* olim dicatis aliquot templis coluiſſe tanquam *Vejoves*, autor eſt *Plinius*, locupletiſſima illa, tanquam alterum copiæ cornu, veterum autorum Bibliotheca. Gratulor itaq; Tibi, & ex animo gratulor, quod tertiana notha detentus, aſſumpto ſuaſu meo vomitorio & pulvere Antifebrili, ex æquis partibus Criſtalli mineralis & ſalis Abſinthii

ſinthii parato, ab ea Te, fauſto *Apolline*, antequam materia morbifica venis communicata fuerat, liberaſti. Præſagiere finem ejus puſtulæ igneæ in labiis obortæ velut criſi quadam in eas partes expulſæ, ut notat *Haly*, & longa rerum experientia indies comprobat. Recidivæ metu, quæ radice ſua pejor eſſe ſolet, imploras conſilium meum, quod lubens Tibi ſuppedito. Quæ judicata ſunt integre, ex venerandi è Coo Senis oraculo, non movenda neq; quicquam innovandum. Quia tamen humores in prima corporis regione luxuriare, obſtructionibus etiam abundare videris, velim ut inſtituta quoad ſex res non naturales, Medicis ſic dictas, proba victus ratione, iis Te vindicare labores, hoc vel ſimili Apozemate. ℞ Radic. Taraxaci, Cichorii, Fœniculi, ana ʒſs. Rad. Aſari ʒjſs. Herbar. Endiviæ, Agrimon. Capil. Ven. ana M. ſs. Paſſular. ʒvj. Fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ ad ℔j. cum colat. in qua fervente infunde per noctem fol. Senæ ʒj. Cinamomi ʒj. Turbith alb. ℈ij. flor. Cordial. ana p. j. In expreſſo diſſolve Syr. Diaſereos ʒiij. Miſce, fiat Apozema pro tribus doſibus, alternis matutinis aſſumendis. Huic diebus intermediis adjunge Tabulas Diarrhodon abbatis. Pluribus non eſt opus. Nec refert quam multa, ſed quam appropriata. Tu his fruere in tuum commodum uberrimum. Vale.

CONCIL.

Concil. XXIX.

In obſtructione menſium puellæ, & vomitu gravidæ cujuſdam Matronæ.

Multi iidemq; graviſſimi morbi, variis ac multiplicitbus ſymptomatis ſtipati, fœminino ſexui ab utero impendent; ut vere dixerit *Democritus*, eum ſexcentarum ærumnarum & innumerabilium calamitatum autotorem eſſe. Imprimis vero menſium ſeu catameniorum ſuppreſſio periculoſum eſt malum, à quo multa alia & gravia mala ortus ſui primordia derivant. Unde Venerandus è Coo Senex, ſi menſes, inquit, ſubſiſtant, ab utero morbi accidunt. Hæc ſuppreſſio pro varia cauſarum ratione varia methodo curanda, de quo ex ſola lotii inſpectione, inviſa ægra non eſt temere certi aliquid determinandum. Et certe perarduum eſt, non tantum incogniris, ſed & abſentibus, quorum temperamentum Medico incognitum, quibuſcunq; in rebus, ſanitatem ſpectantibus, conſulere. Non ſum itaq; culpandus, qui in propoſito Virginis nunquam viſæ caſu, judicium meum, donec eam viſendi copia dabitur, ſuſpendam. Quod ad acidulas ſive aquas minerales attinet, pauciſſimi, imo nulli ſunt in maximo Practicorum choro, qui in ſola menſium obſtructione, à cauſa frigida ut plurimum pronata, aquas hujuſmodi ſuadeant;

ant, forſan in cauſa calida, præparato ex artis lege corpore, prodeſſe poſſunt. Nam aquæ Ferratæ ſeu Vitriolatæ, quales in agra *Mordovienſi* & aliis locis ſponte ſua ſcaturiunt, egregia detergendi, aperiendi & viſcera flaccidiora deſiccandi & adſtrictione corroborandi, calidam cumprimis intemperiem corrigendi, vi pollent. Sed de his brevi coram. Vomitus conjugi tuæ lectiſſimæ, utero habenti, perquam moleſtus, ab humore vitioſo ob ſanguinem menſtruum retentum, in ventriculi capacitatem effuſo, oriundus; cum ſit laborioſus, ſiſtendus ſi fieri poſſit, niſi ſponte ceſſet, quod plerumq; uno vel altero menſe effluxo fieri ſolet. Ut vero ſiſtatur, materia eum proritans evacuanda erit. Id quod commode & tuto fiet hauſtu aquæ hordei, cui incocta ſint Anethi ſemina, adjecta Oxymelitis uncia, tepide propinandæ. Evacuata materia ventriculus corroboretur Electuario ſequenti. ℞ Conſerv. Roſar. rubrar. Vitriolat ℥j. Conſerv. Berber. Rob. ribes, Gelatinæ Cydonior. ana ℥ſs. Specier. Diamargarit. frigid. Roſatæ novell. Diarrhod. Abbat. ana ℈j. Syr. de Mentha & Agreſta, ana q. ſ. Miſc. fiat Electuarium, de quo capiat quantitatem Juglandis mane & ſero. Ante paſtus bibat de Moreto ſeq. ℞ Diamoron cum ſacharo ℥ij. Juleb. Roſati, Aquæ Cinamom. ſecundar. ana ℥j. Spec. Diambr. ſine moſch. ℈ſs. Trag. Stomachalis ℥jſs. Infundantur pere noctem in Viri opt' ℔j. & trajiciantur poſt infuſionem per manicam *Hippocratis*. A paſtu

 comedat

comedat aliquid de Cydoniis conditis: Extra vero imponat ventriculo Emplaſtrum de Cruſta panis. Et hæc ſunt quæ Tibi paucis indicare volui, quibus ut Deus benedicat, omnibus, quibus poſſum, ab eo votis contendo. Vale.

CONCIL. XXX.

In virgine quadam Chloroſi laborante, ad patrem ejus nobiliſſimum.

N. V. De *Ariſtotele*, ingenti illo Naturæ lumine, *Platonis* diſcipulo, refert *Ælianus*, cum adverſa valetudine premeretur & Medicus vocatus non prævio de morbi genere diſcurſu ipſum curare tentaret, ita fuerit affatus. Ne me velut bubulcum ſuſcipias curandum, quin prius de cauſa morbi ediſſeras, tum me magis morigerum & præceptis tuis audientem habebis. Hoc ipſum ne mihi eveniat, priuſquam in curanda filia tua dulciſſima medendi methodum proponam, paucis Te de morbi, quo laborat, indole & ingenio erudiam. Affectus cujus illa, meliori fortuna digna, ſuccumbit tyranndi, ab *Hippocrate*, artis Medicæ venerando conditore, χλώρωσις, à recentioribus, morbus virgineus nominatur, cum virginibus ſit peculiaris. Idem à *Brabantiorum* matronis febris alba, ob faciei pallorem, & amatoria appellatur, cum palleat omnis amans & color hic ſit aptus amanti, quamvis febris raro coincidat.

In

In hoc affectu, quæ antehac Roſeo genarum labiorumq; rubore florebant, nunc velut exanguia eadem triſte palleſcunt, cor ad quemvis vehementiorem motum contremiſcit, & temporum arteriæ ſenſibiliter pulſant, in ſcalarum aſcenſu diſpnoea moleſtat, ventriculus cibum & imprimis carnem faſtidit, crura tandem, præcipue juxta talos, œdemate intumeſcunt, aliaq; complura ſymptomata infeſtant. Pendet autem affectus hic immediate ab infimi ventris obſtructionibus, unde vitioſa fit in viſceribus concoctio, & hinc crudi humores in toto corpore cumulantur, qui ad habitum ejuſdem delati cachexiam excitant, in reliquis vero partibus varia ſymptomata producunt, quorum ſingulas cauſas particulatim jam allegare non vacat. Cauſæ ſaltem obſtructionum, quæ in venis viſcerum contingunt, ſunt humores craſſi, viſcidi & crudi, ex prava victus ratione geniti, ut *Diogenianus* ex iis nos ægrotare, ex quibus vivimus, veriſſime prouunciarit. His calor partium nativus, omnis humorum coctionis in corpore opifex, obrutus, magnum generat crudorum humorum proventum. Malum hoc utplurimum periculo vacat & ad longum ſæpe tempus perdurat. Si tamen negligatur, ut altas radices agat, ita ut magna nutritionis depravatio contingat, graves partim naturalium affectus ſubſequuntnr, interitum producentes. Idæa curationis in eo conſiſtit, ut obſtructiones reſerentur, humores in toto luxuriantes evacuentur & viſcerum intempe-

ries corrigatur & tonus eorum reſtituatur. Hæc non ſunt, hujus tempeſtatis, quia Sirius intenſo flagrat æſtu. Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes, inquit ſummus in Medicina Dictator, *Hippocrates*. Ne tamen malum eundo creſcat & mora diuturna augeatur, velim filiæ tuæ curam auſpicari Emetico ad everrendam ventriculi ſaburram. Id commode faciet vino Siquillitico adjecta unciæ hujus cum dimidia Oxymelitis ſemuncia. Hoc ventriculi everriculum excipiat lenis primæ corporis regionis evacuatio hoc vel ſimili modo. ℞ Radic. Polypodii, fol. Senæ, ana ʒjſs. Agaric. Rhabarbar. ana ʒſs, Cinamom. ℈j. Macis gr. vij. Infundantur per noctem in ſ. q. aq. Betonicæ; in colatura diſſolve Mannæ elect. Syrupi Roſar. ſol. ana ʒj. Miſce, fiat potio, Sequenti die aperiatur Saphena ſiniſtri pedis. Poſtea vero utatur decocto obſtructiones aperiente. ℞. Radic. Apii, Fœniculi, Petroſelini, ana ʒſs. Helenii ʒij. Herb. Capillor. Veneris, Artemiſiæ, Pulegii, ana M. j. Hyſop. ſicci, florum Betonicæ, & Anthos, ana p. ij, Calami Aromat. ʒij. Cicerum rubr. ʒj. Granorum Alkakeng ʒij. Semin. Milii ſolis, Fœnic. dulc. ana ʒj. Bulliant in vini alb. ℔iij. in vaſe lapideo probe clauſo in M. B. per horas vj. Ubi refrixerint colentur. De colatura bibat omni mane ʒiiij. cum Syrupo de Artemiſia ʒſs. Abſoluto hoc decocto purgetur, Agaric. Trochiſ. ℈j. Pil. de Hier. & Fœtid. ana ℈j. Syr. de Artemiſ. q. ſ. Miſce fiant pil. nº. v. Purgato

gato corpore ad chalybeata progrediendum, quæ inter omnia remedia ad hunc morbum profligandum ſunt efficaciſſima, corpus ab obſtructionibus liberant humoreſq; vitioſos in viſceribus collectos evacuant. Sed nolim ut chalybem in ſubſtantia aſſumat; vellem potius meum propinare ſyrupum ſimplicem, vel juſculo alterato herbis convenientibus permiſcendum, ſine violento exercitio, à quo incaleſcit corpus & caput, de cujus dolore conqueritur, oppletur. Quod ſi ſyrupus non arriſerit ſale Martis conſerva permiſto uti poterit. Sed inhærendum diu præſtantiſſimo huic præſidio. His recte adminiſtratis, ſpes eſt fore, ut fauſto & annuente *Apolline* filia tua meliorem corporis ſtatum attingat. Interim obſervanda proba victus ratio, qua ſola hujuſmodi affectus ſæpe evictos fuiſſe conſtat. Faxit Deus optim' maxim' ut omnia cedant in filiæ tuæ ſalutem omnimodum. Vale.

Concil. XXXI.

Pro gravida in dolore lumborum & Hypogaſtrii, nec non pectoris tenſione ad Reverend. maritum.

CUm literæ tuæ ad manus meas pervenirent, dexter mihi ſaliit oculus. Vivus enim, an mortuus ſueris ambigebam. Nunc de rebus ad nutum tuum fluentibus & lectiſſima conjuge tua utero habente, Tibi gratulor, mihi gaudeo. Id ſaltem male me habet, quod miſella Hypogaſtrii nec non lumborum crudeli dolorum carnificina eſſlictim emaceratur, & tali quidem, qualem ne Tityus quidem amator, cum vultures apud inferos jecur ejus divellerent, perpeſſus eſſe videtur. Accedit his urinæ ſuppreſſio, alvi totiuſq; ut ſcribis, ad jugulum uſq; diſtentio ac durities. Ordinaria ſunt gravidis ultimis geſtationis menſibus, ſed moleſtiſſima hujuſmodi ſymptomata. Iis enim ingreſſus impeditur, reſpiratio difficilis redditur & quod malorum primum eſt, vires dejiciuntur ut partui ſint impares; His malis ut medicam manum adhibeamus, neceſſe eſt ut alvus indies reſpondeat, quæ ſi ſegnior fuerit, officii ſui admoneatur. A conceptu enim cavitates non tantum uteri, ſed & imi gutturis ac inteſtinorum coarctari ſolent; ac proinde minime mirum, ſi occluſis viis vel à retentis excrementis,

mentis, vel à ſanguine ſuppreſſo vel utroq; imprimis ſi minus proba victus ratio acceſſerit, flatuoſi excitentur ſpiritus, tantorum cauſa caputq; dolorum, necnon ventris & pectoris moleſtæ tenſiones & anguſtiæ. Ad alvum leniendum conducent pruna damaſcena in aqua fontana donec intumeſcant macerata, & exemto nucleo ante cœnam comeſta, deglutiendo cum illis grana quatuor vel quinq; Piperis integri. Vel hujus loco paſſulæ laxativæ cum Manna aut Caſſia ante cibum è canna devorata. Interim & flatus diſcutiendi enemate ex brodio pulli vel alterius, ſi ſit opus, in quo ſemina Aniſi, Fœnicul[illegible] & Cumini ſint cocta, adjecto oleo Rutaceo & Roſaceo nec non Diacatholici portiuncula, dummodo non magna quantitate injiciatur. Interim pro re nata propinatur Cochlear unum Aquæ Imperialis, aut quæ præſtat, aquæ ſive Balſami Embrionis dicti, ſi modo ejus vobiſcum copia ſuppeditatur. Externe liniatur Hypogaſtrium oleis anodynis. His adde ſubligacula cum vinculis, ex tela interbuſtata cum cottone, quibus collo ſuſpenſis totus venter fulciatur, qui jam pondere ſuo gravat & ingreſſum impedit. His ex artis lege adminiſtratis una quaſi fidelia plures dealbabis parietes & diverſis Symptomatis ſapienter occurres. Quod utinæ ſuppreſſionem attinet, licet cauſa non ſit morboſa, attamen eſt importuna & moleſta, nec alia ratione contingit, quam quod à fœtu grandiore veſica comprimitur. Hinc vix illius curatio expectanda, donec

partu, quem conjugi tuæ felicem precor, partes oppreſſæ fuerint liberatæ. Poterit tamen malum hoc leniri quodammodo vel ſitu convenienti vel fomento emolliente & aperiente ex decocto utriuſq; Malvæ, Parietariæ, radic. Petroſelini, Apii, Fœniculi & ſeminibus Lini, addito pauco vino albo. Interim proba victus norma inſtituenda, qua neglecta non tantum irrita erunt efficaciſſima quævis præſidia, ſed & prædicta ſymptomata ingravèſcent. Sed hæc ſufficiant. Vale.

Concil. XXXII.

In Catarrho & Lippitudine, pro Viro quodam reverendo.

NUllum eſt in humani corporis fabrica membrum quod pluribus & gravioribus affligatur morbis, aliiſq; morborum cauſam ſuppeditet, ac caput, ſacra Palladis arx à Poetis nominatum; ſive primaria affectione, ſive communis lege conſortii afficiatur. Imprimis vero jugi Catarrhorum deſtillatione graviſſimorum morborum fomes & cauſa evadit. Cujus rei teſtem Te ipſum proh dolor! habeo, cui Catarrhus, à toto, ni fallor, oriundus, tantum negotii faceſſit. Hoc ipſum innuit febris, qua moleſtaris, cum cujus paroxyſmis augetur Catarrhus. Quo in ſtatu ſint hoc tempore res tuæ, neſcio. Quippe literæ tuæ ſerius mihi traditæ

ditæ ſunt. Ut ut ſit, cum *Favonius* genitali veris aura ſpirare incipiat, cunctaq; in aprici gramine campi redolenti florum amœnitate vernent, velim, ut injecto communi Enemate ad deturbandam alvi ſentinam, inſtituas venæ externæ in brachio dextro ſectionem, ſeptem circiter ſanguinis uncias detrahendo, maxime cum febris urgeat. Sic enim corpus refrigerare, materiam morbificam quodammodo evacure & ne ad caput, indeq; ad fauces & pulmones cum periculo ruat, ſapienter impedire poteris. Eadem opera Lippientibus oculis occurres, de quibus querelam inſtituis. Abſoluta phlebotomia, præparantibus, quæ humorum fervorem & acrimoniam temperare & mitigare apta nata ſunt, inhærendum erit, Syrupo de Cichorio compoſito ſine Rhabarbaro, Violarum, & de Roſis ſiccis, aquæ Papaveris rheados, & Boraginis æqualibus partibus; addita una vel altera ſpiritus Sulphuris guttula, dilutis. Hujus Julapii uncias tres vel quatuor mane & quarta pomeridiana per biduum aſſumere poteris magno commodo, ut humores ad evacuationem præparentur; quam feliciter annuente *Apollinis* numine inſtitues pilulis aureis & Arabices invicem permiſtis drachmæ quantitate, cum debito regimine in diluculo devorandis. Interim Catarrhus ſiſtatur Electuario ex Conſerva Roſarum, Nucè moſchata in *India* condita, ſpeciebus Aromatici Roſati & pulvere Olibani conflato, de quo antehac. Tandem reliqua forſan defluxionis materia exſiccanda

&

& partes affectæ firmandæ decocto radicum Chinæ mane & quarta pomeridiana propinato. Et obſervanda proba victus norma de cujus minutiis antehac coram. Nunc plura non addam niſi vota mea in tuam ſalutem. Vale, & me ama.

Concil. XXXIII.

Pro ſpectabili quodam Viro in ulcere Fiſtuloſo inteſtini recti ad Medicum ejus.

En Tibi reducem, Excellentiſſime Vir, ſpectatiſſimum clientem tuum, quem conſanguineorum amor & cœli ſoliſq; mutandi aviditas in has oros Occidentaliores, ipſi natales, invitavit; ut ſimul etiam, ſi forſan afflictæ collapſæ valetudini ejus ſecundior adſpiraret aura, periclitaretur. Antequam me accederet, nihil de ulcere in podicis parte interna latitante vel per ſomnium quidem ſuſpicabatur, etſi querelam continuam de dolore eo affligente inſtitueret & purulentam ichoris colluviem ſingulis ferme horis inde cum flatu eructaret. Hujus tamen manifeſta ſeſe produnt inditia, oculis etiam cæcutientibus conſpicua. Viſcida, ſubpallida ſæpius, fœtida, & cruenta ſanies, ſanguinis interdum rejectio & Teneſmus admodum moleſtus, hoc ipſum evidentiſſime evincunt. Pus omnibus numeris abſolutum, quod ſcil. album ſit, leve & æquale, quod minime fœtidum ſit, ubi tantorum excrementorum proventus

ventus adeſt, quis quæſo ſanæ mentis expectet? quod pro illorum diuerſitate varium redditur. Inanes vero egerendi cupiditates adveniunt, non quod fæces ſtimulent, quas alvus indies pro more ſemel deponit, ſed acris in inteſtinum materia ex ulcere defluat, tentionis & excernendi conatus calcar & ſtimulus continuus. Quodſi aliquando ab alvi durioribus excrementis locus irritari contigerit, ſanguinis quædam portio cum cruenta ſanie emittitur. Et quantum conjectura conſequi licet, ulcus hoc neglectum temporis diuturnitate in fiſtuloſum degeneraſſe videtur, quod materia ex eodem manans demonſtrat. Imo non levis mihi eſt ſuſpicio perforati inteſtini, quod ſemper poſt flatuum eruptionem pars ichoris fœtidi & excrementorum tantillo permiſti per ſinum ejus rejicitur. Hactenus rem certo explorare non potuimus experto Chirurgo deſtituti. Quæ ſint generationis ejus primordia, de eo nihil certi conſtat ex ægri relatione. Vero perquam ſimile eſt, hunc Virum quotidiano fere uſu Aloeticorum in hoc malum incidiſſe. Aloe enim partium tenuitate fundit ſanguinem & ad vaſorum, imprimis ſedalium, extrema deducit, earundem craſſitie fit ἀναστομωτικὸν. Poterit tamen hoc malum ex corruptis etiam humoribus à corpore in ſentinam hanc præcipitatis, ortus ſui rudimenta deduxiſſe. Siquidem partes illæ molles & laxæ facile humores recipiunt, quæ in ſanis quoq; corporibus aquoſa humiditate refertæ deprehendeutur. His videor

deor omnia complexus, quæ ad naturam, cauſas & ſymptomata tanti mali attinent. Quibus rite conſideratis, nullum poſſum in honorati hujus Viri ſalutem edere prognoſticum, quippe metuo, ut ſanari poſſit. Hæret affectus in parte exquiſito ſenſu prædita, quæ facile ab auſteris & acribus medicamentis irritatur. Quin & tranſitus excrementorum ipſe per ſe mordax eſt, & magis, quod tum bilis ipſa, tum quædam ſanies ut plurimum iſthic loci moratur. His adde, quod vix aliqua medicamenta applicari queant, quin laceſſitis à ſanie inteſtinis & ipſa ſimul protrudantur. Imo dubito, ſi poſſit, an debeat curari. Annus eſt, & quod excurrit ultra, ex quo Natura, rebus ſuis provide conſulens, corporis excrementa hac via, tanquam per cloacam, expurgavit, qua impedita non leve periculum imminere videtur. Generabuntur ea continuo, quæ ſi per aſſuetam non vacuantur viam, vel inſolitam & forſan deteriorem ſibi parabunt, vel ad ea regurgitabunt principia, à quibus fluxerunt. Quodſi contingat, exitiale ſequetur malum. Hactenus ex conſilio tuo indulſit aquis mineralibus ferratis & vitriolatis, in ericeto *Mordonienſi* hujus Comitatus ſponte ſua ſcaturientibus, quibus hauſtis vires quodammodo reſarciri & ſeipſo ſe robuſtiorem fieri ſenſit, & quod notandum, nihil cruenti, cum iis uteretur, dejecit, attamen ſaniei profluvium nihilo minus imminutum. Equidem ſi meæ induſtriæ Vir hic integerrimus omnino commiſſus eſſet, ne prognoſticis relictus

ctus videatur, fluentes humores revellere inſudarem, qui vero in affecta ſede continentur hos per viciniores partes derivarem, diſcuterem, partemq; debilitatam corroborarem. Ulcus vero detergere, replere, etſi ſine incommodo fieri poſſit, glutinare Chirurgo ſuaderem. Primo omnium ſanguinem ſecta vena interiore dextri cubiti ab effecta ſede revellendum conſulerem, maxime cum æger huic remedio aſſuetus ſit & magnum inde quotannis, commodum & emolumentum perceperit. Eſt enim plethoricus. Unde non fuerit extra propoſitum, meo quidem judicio, venas quoq; malleoli incidere, tam ad evacuandum, quam ad derivandum, id quod maturo tuo judicio conſiderandum relinquo. Humores porro purgatione revellendi & evacuandi præmiſſa debita eorum præparatione. Hanc inſtitues Syrup. Acetoſ. compoſ. Syr. de Eupator. ana ℥jſs. Oxymel ſimpl. ℥j. Aqua Abſinthii, Cichorii, Endiviæ, Cardui, & Capillorum Veneris diluendis. Illa optime perficietur vomitorio. Abſurdum enim eſſet per locum ducere, qui fluxione vel tentatur, vel tentari ſolet. Inteſtinis laborantibus per ſuperiora, ventriculo languente per inferiora medicatio omnium optime ſuccedet. Varia à Practicis paſſim commendantur Emetica, in quorum cenſu Diaſarum *Fernelii* omnium mihi maxime arridet, quod nullo labore quibuſdam intervallis tuto vomitum movet, omni ætati & ſexui conducibile & familiare. Quodſi hujus non detur copia. ℞ Rad. Raphani ℥j. Aſari

℥ij.

℥ij. Semin. Atriplicis ℥jſs. Agarici ℈ij. Flor. Geniſtæ p. ij. Coquantur in aqua ad ℥v. Colaturæ adde Oxymellis ſcillitici ℥jſs. Miſce fiat potio vomitoria tepide haurienda. Validiori, præſertim Stibiato, quæ per ſeceſſum quoq; movere ſolent, rem aggredi nolim, ne vis aliqua ventriculo inferatur. Malim bis vel ſemel ad minimum in menſe, poſt largiorem cœnam & liberaliorem omnium ingurgitationem, elapſis duabus horis, adactis in fauces digitis vomitum moveri, qui multo facilior ſuccedet & ea quæ vix ulli Emetico promovere datum eſt, educet. Hæc evacuatio magni ad valetudinem hujus Viri recuperandam erit momenti, qua ab inferis partibus fiet revulſio & crudorum humorum expurgata ſaburra optimam præſervandi rationem habebit. His præſtitis, non abs re fuerit per ſedem purgare, ſed magna hic opus diligentia & judicio in eligendis aptis remediis, ne validiorum purgantium uſu æger in graviora præcipitetur mala. Vacuent autem vel leniendo vel parum attrahendo, quorum etſi magna ſit ubiq; ſylva, attamen præ cæteris placet mihi decoctum Senæ in quo infuſa ſit per horas aliquot Caſſia, noviter è Canna extracta, adjecto colaturæ Syrupo magiſtrali ad melancholiam. Juvabunt hæc, ſed affectum non auferent, alia itaq; generoſioria ex divite Medicinæ penu ſunt petenda, in quorum cenſu decoctum radicum Chinæ principem mihi locum obtinere videtur, vel hujus loco Aqua Calcis, efficaciſſimum in omnibus internis ulceribus

ceribus remedium, cujus Tibi copiam faciam, niſi jam fuerit cognita. Ulcus vero ipſum experto Chirurgo comittendum, qui illud indies abluat, detergeat, carno repleat, conſolidet, aliaq; opportuna faciat. Interim non negligendi fonticuli in exteriori parte utriuſq; cruris affigendi. His omnibus annectenda proba victus ratio, ſine qua *Galenus* alia quæq; remedia ait prorſus vana & irrita reddi. Vitandus omnis in aëre exceſſus, & in cibo quæ craſſum & fæculentum generant humorem. Fugienda itidem ciborum plenitudo & varietas. Laborioſi motus & exercitia non ſuſcipienda, præſertim vero equitatio, quæ tanto magis oberit, quanto fuerit durior. Proderit levis obambulatio. Alvus libera procuranda, id quod leniente & humectante victu commodiſſime obtinebitur. Somnus & vigiliæ ſint moderata. Obſunt omnes animi affectus præter gaudium. De diætæ minutiis Tu qui præſens monebis. Hæc ſufficiant, ne *Minervam* inſtruere velle videar, dum meam ſaltem in curando ægro methodum propono. Deus opt' max' huic Viro integerrimo pro inſigni ſua erga mortales bonitate ſanitatem tribuat & hæc qualiacunq; in ſui gloriam ſecundet. Vale.

CONCIL.

Concil. XXXIV.

Pro nobili quodam Viro in Hydropica cachexia cum Scorbuti complicatione.

N. V. Vix reperies ullum ſub concavo *Lunæ* orbe corpus omnibus numeris ſanum. Sic eſt ſane, ut nemo ſine crimine vivit & ſuos quiſq; patitur manes, ita & morbos. Circumſpice intento oculo & hunc mox quaſi fulminis quadam ſideratione attonitum procumbere; illum vix oſſibus hærentem funeſta Phthiſi emaciatum, cum ſanguine, vitæ theſauro, pulmones, imo vitam ipſam, nec omnibus Crœſi divitiis, nec auriferi Tagi arenis redimendam, lenta morte eructare; iſtum ſub ingenti ventris, aqua tumidi, mole obrutum, vix ſpiritum trahere, ac tandem rumpi; nullum non aliquo & ſæpe etiam pluribus morborum generibus imo pectore ingemiſcere videbis. Et Tu quoq; V. N. dignus utiq; quem nec morbus ullus, nec ſenectus ipſa unquam attingat, Tu quoq; proh dolor! multorum capitum Hydram ſatis ſtupendam, in ſinu geſtas, cui debellendæ ne *Hercules* quidem ſuffecerit aut par fuerit. Compreſſivus ventriculi dolor, crudorum humorum à cibo ingeſto vomitus, anhelitus difficultas, animi anxietas, cordis palpitatio aurium ſuſurri, flatus & vapores momentanei, ſacram Palladis arcem ſæpiuſculæ de ſubito

Typhonis

Typhonis inſtar percellentes, oculorum caligo, manus & tibiarum, ſiniſtræ præſertim, tumor œdematoſus, arthritis, & ejus farinæ alia, ſub quorum tyrannide ingemiſcis, omnia ſunt Cachexiæ hydropicæ, ad *Anaſarcam* proxime accedentis, genuina ſoboles, cui, niſi meum me fallit judicium, Scorbutus, barbare ſic dictus, ſub omnium malorum larva corpora noſtra aggredi conſuetus, arctiſſimo mihi nexu complicari videtur. Inſigni huic malorum catervæ aliud de novo malum nuper admodum, omnino formidabile, quantum ex literis tuis intelligo, irato *Apolline*, ſuperadditum eſſe ex animo doleo; copioſam ſcil. ſanguinis altera vice, nocturno tempore, per ſuperiora cum tuſſi valida eructationem, quam venerandus noſter è Coo Senex malam eſſe pronunciat, undecunq; profluat. Ita vix reſectis Hydræ capitibus quibuſdam, alia confeſtim ex eadem cervice pullulantia renaſcuntur. Quænam fuerint à parentibus derivata generationis primordia, me quidem fugit. Video tamen inordinatam victus rationem, qua uſus es, dum publicis negotiis vacares, Comitiis etiam *Londini*, *Angliæ* ocello, habitis, intereſſes, nihil Tibi attuliſſe commodi, ſed valetudinem tuam funditus evertiſſe. Ut ellychnium lampadis olei fomento conſervatur; Sic genuinus humani corporis calor, humiditas & vires, quæ continua & occulta corporis exhalatione fatiſcunt, ſalubri potus & cibi pabulo, nec non dextro ſex rerum non naturalium, Medicis ſic dicta.

rum, uſu, conſervantur, ſiniſtro deſtruuntur. Certe, nihil æque laudabilem viſcerum craſin & temperiem immutare & peſſundare aptum natum eſt, quam inordinata victus norma, negotiorum & curarum cumulus, cogitationum ſeriarum multitudo, lectionum & ſtudiorum contumax aſſiduitas, animiq; intentio, exercitia intempeſtiva, & hæc omnia mox à paſtu inſtituta, quibus avocatis à concoctionis organis ſpiritibus & nativo calore, præcipuo illius omniumq; animæ virtutum inſtrumento, concoctionem impediri vel ſaltem imperfecte fieri neceſſe eſt. Huic viſcerum ataxiæ & inter ſe diſcordiæ jure merito adſcribenda ſunt, quotquot in ergaſtulo tuo pateris malorum Iliada. Ventriculus frigidior plus cibi appetit, quam rite & bonis rebus ſuis concoquere valet. Hinc cruditates cumulantur, compreſſivi illius doloris poſt cibum, qui Te excruciat, necnon moleſtæ vomitionis indubii autores, quarum copia expultrix ventriculi facultas inſurgit, ut ſeſe gravante onere liberet. Cumq; fieri nequeat, ut primæ concoctionis error in ſecunda emendetur, Jecoris & Lienis imperfecta concoctio inevitabili quadam neceſſitatis lege ſubſequitur, quibus debilitatis & ad caliditatem inclinantibus prompte admodum ſeroſa & aquea colluvies in Venis & Arteriis colligitur, dum à prima concoctione debili cito nimis aquoſitas aſſumptorum trahitur & vi caloris attenuata toti communicatur, & à Naturæ ſibi conſulentis vi ac robore in tibias protruſa œdematoſum

mătoſum tumorem cauſatur. Rem ita ſe habere, urina cruda, aquea & ſine ſedimento perſiſtens, copioſe reddita, abunde teſtatur. Hujus ſeroſi humoris in Venoſo & Arterioſo genere luxuriantis ea eſt indoles, hoc ingenium, ut non tantum vapores in caput exhalet, ſi efferbuerit, ſed & ſponte ſua caput petat & ſeroſa plenitudine repleat, quatenus omnibus fere ſemper os & linguam madeſcere videmus. Quid mirum ſi quando ebulliens ſanguinem, cui permiſtus eſt, una ſecum rapiat & copia ſua venas & arterias, imam cerebri ſedem perreptantes diſtendendo aperiat, vel qualitate ſua ad profuſionem ſtimulet. Et hanc veriſſimam eſſe cruenti effluvii cauſam, nec à pulmonibus aut aliunde emanare credo; cum nulla aliarum partium affectarum manifeſta appareant ſigna & indicia, ſed præceſſerit capitis gravitas, narium Hæmorrhogia prodroma & pediſſequa, oculorum caligo, reſpirationis difficultas, cordis palpitatio, ſeroſi ſanguinis effloreſcentiæ progenies, quæ ab *Hippocrate*, Medicorum Coryphæo, ut ſigna præcurſoria Hæmorrhagiæ narium proponuntur. Nihil itaq; timendum formidabile ab hoc accidente, nihil quod Fatum acceleret. Quod *Arthritidem* attinet, ea ab eodem humore ortus ſui primordia ducit, quatenus ſerum efferveſcens in maſſa ſanguinea ſenſiles partes vellicat, quæ cauſæ morbificæ eo minus reſiſtunt, quod longe à fonte caloris diſſitæ & jam ante eodem affectu debilitate ſint. Atq; hæc eſt Idæa affectuum, quibus mo-

leſtaris, complicatiſſimorum utiq; & graviſſimorum, quorum cauſas, ſi alibi quæſiverimus, operam proculdubio luſerimus. Hactenus, quæ in rem præſentem neceſſaria erant, ſedulo ordinata fuiſſe video. Nunc data conveniente anni tempeſtate, diſpoſitioni huic præter naturam per convenientia remedia porro obviam eundum erit, atq; omnibus nervis annitendum ut ſeroſæ materiæ collectio diſſipetur, membrorum concoctioni famulantium digeſtio promoveatur, interna vero viſcera, tanquam partes mandantes, & exterius manus & pedes, ut partes recipientes, roborandi erunt. In quos fines, ſi Te dicto audientem habuerim, ad everrendam materiam illam viſcidam, ventriculi tunicis mordicus hærentem, ſuaſerim Tibi lene aliquod Emeticum, quale eſt quod recipit Oxymel. Scillitici ℥ſs. Pulveris radicum Aſari & Agarici albi, ana gran. xv. quæ inter ſe mixta propinentur ex aqua Centaurii minoris vel alio quodam liquore cum debita regimine. Multum equidem commodi ex hoc Tibi præſidio acceſſurum duxerim, repetendo etiam, ſi votis reſponderit. Nec eſt ut Tibi à ſanguinis rejectione metuas, ob rationes ſupra allegatas. Abſoluto Vomitu, ut primæ viæ evacuentur, viſcerum quoq; obſtructiones, quæ in Te plurimæ ſunt, reſerantur, autor Tibi fuerim, ut ſingulis vel ſaltem alternis matutinis pro operationis ratione jejuno ventriculo uncias tres vel quatuor aſſumas ſequentis Apozematis. ℞ Radic. Apii, Petroſelini, Cichorii, ana ℥j. Rad. Helenii,

Helenii, Corticis mediani Fraxini & Tamariſci ana ℥ ſß. Radic. Aſari ʒiij. Folior. Agrimoniæ, Ceterach, Capillorum Veneris, Betonicæ, Cichorii, ana M. j. Chamædrios, Abſinthii, ana Mſß. Seminum Aniſi, Fœniculi, ana ʒij. Flor. Geniſtæ & Sambuci, ana p. j. Coquantur in ſ. q. aq. ad ℥xx. cum colatura, in qua fervente infunde per noctem foliorum Senæ ℥j. Mechoacannæ ℥ſß. Rhabarbari ʒjſß. Seminum Carthami ʒij. Saſſafras & corticum Aurantior. ana ʒij. In colatura diſſolve Syrupi de Cichorio comp. & de Spina Cervina, ana ℥jſß. Miſce, fiat Apozema. Purgato hoc vel ſimili modo corpore, uſus Diureitcorum erit commodus, quæ per urinas ſeroſos humores evacuent, qua via felicior utplurimum curatio ſuccedere ſolet. In horum cenſu primas tenet decoctum baccarum Juniperi cum aqua Linariæ & tertia vini Rhenani parte, in duplici vaſe paratum, addito ſpiritu ſalis, cujus hauſtus propinetur mane & quarto pomeridiana. Si deſit aqua Linariæ ejus loco ſubſtituatur aqua Abſinthii ter infuſis foliis deſtillata. Interim non omittenda ea, quæ viſcera corroborant, ut novam ſeroſorum humorum generationem inhibeamus. In eum finem conducet Electuarium Cyphoides *Galeni* aut ſpecies Diacubebæ, cum pulvere Diatrion ſantal. & raſura Eboris, Conſervæ Abſinthii, Anthos, Cichorii, Helenii, permiſtis. Quod externa attinet, inungi poterit hepatis regio unguento ex unguenti Santalini, ſucci Cichorii, & Abſinthii, ana ʒjſß. adjecta cera & tantillo

aceti, parato. Tibiarum vero & pedum tumor œdematoſus diſcuti poterit Lixivio, in quo incoxerint radices Ebuli, Helenii, Roſmarinus, Majorana, Thymus, Laurus, Origanum & ſimilia. Neſcio an Fonticulum geſtes, de eo imprimendo nihil moneo, quod in hujuſmodi tumoribus male ceſſit, quemadmodum & Veſicatoria & Scarificationes, & ſatius eſſe puto ab iis prorſus abſtinere. De Diæta nuper tibi ſcripſi, hoc ſaltem addo, ut parciſſime bibas. Pro potu vero ordinario utaris velim Cereviſia, Trifolio fibrino impregnata, aut vino albo eodem Medicato, cui Abſinthium, quoq; adjicere poteris; Succos quoq; Antiſcorbuticos pro Embammatis in cibo adhibere, qui ſiccior eſſe debet & extenuatorius, quibus & Diuretica incoquere vel immiſcere non incongruum. Hæc habui V. N. quæ de affectu tuo ſcriberem. Faxit Deus opt' max' ut ſanitatem Tibi adferant.

Concil. XXXV.

In Lipothymia Scorbutica à primo ſomno invadente ad Virum quendam reverendum.

DE literis tuis dextro mihi *Mercurio* traditis, Vir reverende, in cœlo ſum. Nec enim iis quicquam mihi gratius accidere potuit, non quod laudibus illis delecter, quas Tu prodige verius, quam liberaliter in me effundis, imo ne legere quidem, eas ſuſtinuiſſem, niſi ſuaſum

ſuaſum mihi habuiſſem, eas ab ingenii tui ſingulari quodam candore & immodico noſtri ſtudio proficiſci. Quicquid ſit, ipſus certe ſummis ac maximis virtutibus abundes oportet, qui in me paucas & mediocres adeo perdide amas. Cæterum gratulor Tibi de tranſacto ſuperiori anno commoda ſatis valetudine. Sed male me habet redivivæ Scorbuticæ Hydræ germana ſoboles Lipothymia, quæ Te ſtudiis & laboribus defeſſum interpolatis vicibus à primo ſomno crudeliter invaſit, atq; nec dum inducias dat. Non contemnendum eſt hoc malum, quo nonnullos Scorbuto, ſub omnium malorum larva humana corpora aggredi ſolito, laborantes, ſubito extinctos fuiſſe obſervat *Eugalenus*, qui hoc ſymptoma pro certo Scorbuti ſigna agnoſcit. Cujus quidem natales ortus in tetros vapores motu, dum ægri ſe in lecti erigunt, commotos, á Scorbutica minera in infimo ventre latitante, ad cor, vitæ domicilium, exhalantes, unice referendos duxerim. Huic malo feliciter eradicando, ocyus, ne vires acquirat eundo, cum Pharmacia debita, tum, vel maxime, proba victus ratione occurrendum, vitæ alioquin inſidiaturo. Quod diætam attinet, qua ſola graviſſimi ſæpe morbi ſuperantur, adverſetur ea Cacochymiæ Scorbuticæ generationi & apta ſit humorum vitia corrigendi. Imprimis Tibi temperandum erit à labore & ſtudiis improbis & immoderatis, quibus inhias, nec plus iis indulgendum, quam corpuſculum tuum eſt ferendo. Cum animum ſtudiis fatigari

ſentis, ad corpori gratum exercitium Te verito. Nam ut *Iſocrates* ait, πλησμονὴ ἁπάντων. Nimiis quippe ſtudiorum laboribus & vigiliis defeſſa ingenia corruunt, pondere moleſtiarū oppreſſa. Præſtat ſæpe arcum remittere, ut habeas, quem tendere poſſis. Cura igitur, ne animus anxio ſtudio corpus, nec corpus animum nimio labore fatiget, ſed grata viciſſitudine alterum alterius laborem excipiat. Sic vaporum pravorum Anathymiaſin & ad ſuperiora recurſum ſapienter impedire poteris, immediatam Lipothymiæ cauſam. Aërem elige moderate calidum, ſiccum, tenuem, purum; putentem, & contarium fuge. In cibo & potu abſtine ab omnibus, quæ humorem melancholicum craſſum & tartareum generare apta nata ſunt. Quæcunq; muria aſſervata, ſale condita, aut fumo indurata contabuere, quæq; aromatibus affluant, quorum minutias recenſere nimis longum foret, cane pejus & angue fugito. Contra vero in quotidiano uſu ſint cibi boni ſucci, facilis concoctionis, attenuandi, incidendi, aperiendi, detergendiq; vi præditi & qui ad πνευματώσιν faciunt nullo vero modo eam impediunt, aut cibos incraſſiunt. Imprimis lac caprinum cæteris palmam præripit, Jejuno ventriculo calide ab ubere pleno poculo potum, cum quatuor horarum abſtinentia, quod optimi ſucci eſt, & concoctu facile atq; ad benignum viſcerum naturalium ſuccum, vi morbi abſumptum, denuo inſtaurandum & robur eorum conſervandum accomodatiſſimum. Obſervatum eſt à practicis,

multos

multos largo ſolius lactis uſu, in quo Naſturtium aquaticum, Cochlearia & Becabunga cocta vel infuſa fuere, ab hac infenſiſſima Scorbuti Hydra vindicatos convaluiſſe. Utilia quoq; ſunt poma Aurantia. Dulcium & Saccharatorum uſus ſit parcus, cum glutinoſum quiddam & obſtructiones pariendi vim habeant. Simplicitas ciborum varietati præferenda. Potus ſit Cerevisia bene cocta, tenuior, & bene defæcata, Abſinthio, lingua cervina & ſimilibus medicata. In reliquis ad ſex res non naturales pertinentibus, πάντων μέτρον ἄριστον. Sed de his ſatis & ſufficiat generalia ſaltem obiter indigitaſſe. Nunc ad Pharmaciam accedo. Hanc quod attinet in conſultum duxerim excarne corpuſculcum tuum longo & tædioſo & medicamentorum apparatu, cui non eſt ferendo, imprudenter onerare. Si meo apud Te conſilio locus, velim ut humorum Scorbuticorum præparationem, & obſtructionum, quæ in Te plurimæ ſunt, reſerationem inſtituas brodio pulli vel carnis vitulinæ in hunc vel ſimilem modum. ℞ Rad. Polypod. Querc. & Scorzoner. ana ℥j. Cortic. rad. Capparum & interior. Fraxini, ana ℥ij. Herbar. Ceterach, Fumariæ, Capill. Veneris, Meliſſæ & linguæ Cervinæ, ana M. j. Thymi, Epithymi, ana p. j. flor. Borag. Bugloſſi, Cichorii, ana p. ij. Paſſular. Exacinat. ℥j. Coquantur cum pullo in ſ. q. aquæ communis. Hujus juſculi cape hauſtum mane jejuno ventriculo & quarta pomeridiana cum dimidia drachma pulveris ſequentis in eodem ſoluti.

℞

℞ Cremoris tartari ʒij. Tartari vitriolat. ℈ij. Corallor. rub. præparat. ʒß. fæculæ Aron. Bryon. ana ℈ij. gr. v. Salis Abſinth. & Cochlear. ana ℈ij. Miſce, fiat pulvis digeſtivus, continuando juſculum hoc per plures dies. Tertio vero quovis crepuſculo permiſce eidem quatuor aut quinq; Cochlearia infuſionis Senæ in ſequentem modum paratæ. ℞ Folior. Senæ ℥j. Epithym. Mß. Sal. Tartar. ʒj. Infunduntur in loco frigido per horas octo in Aq. Borag. ℔j. & colatura reſervetur uſui dicto. Multum ſpero Tibi commodi ex hoc brodio acceſſurum, ſi *Apollo* propitius arriſerit, ſine cujus numine & benigno afflatu fruſtranea erunt efficaciſſima quævis præſidia. Interim ut Cor, facultatis vitalis domicilium, cum reliquis viſceribus corroboretur, conficiendum curabis Electuarium ex Conſerva Boraginis, Bugloſſi, Meliſſæ, & florum Tunicæ ℥j. Conſ. Cochleariæ ʒß. & corticum Citri ʒiij. conflatum, cui permiſce Confectionis Alkermes ʒjß. ſpecierum Pliris Archontici, Diamargarit. frigidi, & Diarrhodon Abbatis, ana ℈ij. Corticum Winteran. ʒß. Corall. r. præp. Oculor: Cancri, ana ℈j. Margarit. præp. ℈ß. Miſce & cum Syrupo Acetoſ. & Caryophil. fiat Electuarium mane & hora ſomni Juglandis quantitate devorandum. Tempore intermedio capere poteris ſæpius in die Cochlear. unum aquæ ſequentis perlatæ. ℞ Aquæ, Naphæ, Meliſſæ, Boragin. Roſarum, ana ℥j. Aq. Cord. frigid. Saxon. Cinamomi hordeat. ana ℥jß. Margarit. præp. ʒß. Sachar. Roſat.

Roſat. perlat. ℥vj. Miſce, fiat Emulſio perlata. His omnibus annecte Cereviſiam medicatam, Radic. filicis, & Scorz. ana ℥ij. Radic. Cicho Taxax. Bruſci, Cortic. Tamariſc. an. ℥jſs. Raſur. Corn. Cerv. & Eboris, ana ℥j. fol. Siccor. Agrim. Ceterach, Fumar. Ling. Cervinæ, ana M. ij. Santali albi ℥ſs. Bulliant in congiis Alæ quinq; ad duarum partium conſumptionem, & maneant in infuſione horis ſex vaſe tecto, quibus poſtea non incommode adjeceris ſuccos Antiſcorbuticos, quibus etiam pro Embammate uti poteris. Plura non addam, niſi vota mea, ut hæc à præpotenti Deo, ſanitatis & ſalutis omnis autore benigne fortunentur.

CONCIL. XXXVI.

Pro eodem Viro reverendo.

JUcundiſſimæ pariter & humaniſſimæ literæ tuæ dextro mihi Mercurio traditæ ſunt, vir reverende, amicorum decus, quæ quidem tantopere me delectarunt, ut explicare ſatis nequeam. Tanta enim humanitate modeſtiaq; mecum agis, tantaq; animi propenſione, quæ tua eſt benevolentia, me immeritum proſequeris, ut tametſi meam omnem impendam operam, ut propter hæc tibi gratias tum agantum habeam, non ita tamen, ut velim, mihi ſatis facere videar. Aliquo tamen modo referam, quod non minus te amo, quam à te amer. Cæterum

terum quod anguſtiam illam & pronitaten ad eclyſin, quæ tibi ſtudiis & laboribus defeſſo, ſub ſomni horam, ſæpius media nocte à ſomno ex perge facto, crebro inſidias ſtruere ſolet, attinet, eam, Tibi quoad indolem ejus & ingenium ultimis meis literis graphice, ni fallor, depinxi, & qua via curari poſſit, indicavi: quæ jam repetere nolo, ne crambem coctam recoquere velle videar. Affectionis Hypochondriacæ ſobolem eſſe Practicis *Londinenſibus*, quorum conſilium, ut refers imploraſti, facile concedo & agnoſco, ita tamen, ut peculiarem quendam malignitatis gradum, Scorbuti æmulum adepta eſſe videatur. Exturbandus erit ſedulo humor Flatulentus, Tartareus, Scorbutica labe inquinatus, in venis Meſenterii ac circa Lienem altius impactus, omniſq; pravorum & malignorum vaporum, Cor, ἀρχὴν τοῦ τερμοῦ κ̀ξῆν, præter modum ferientium, proventus repellentibus ſubmovendus, de quibus in ultimis, quæ Tibi autor fuerim, ut ſedulo proſequaris. Levia ſunt quæ tunc temporis præſcripſi remedia, quod à vehementioribus malum hoc exaſperari ſoleat. Iis itaq; tuto & cum commodo tuo, ſi numen annuerit uti poteris. Quod Cauteria & Fonticulos attinet, ut petitioni tuæ ſatisfaciam, pleriq; medici in curando Scorbuto de iis ſilent, non video tamen cur affigi nequeant. Quid enim prohibeat, materia Scorbutica circa Lienem hærente, ſi ſurſum vergat aut tetram mephitim in caput exhalet,

aut

aut cor etiam percellat, quò minus revulsionis ergo Fonticulus in femore vel crure excitari debeat? Nihil ſane, dummodo rectitudo obſervetur. Revellit enim, quominus materia aut vapores viſcera ſeu partes inquinare poſſit. Conveniunt apprime, *Saxoniæ* ſuffragio, in Melancholia omni cum materia, & in melancholicis affectibus, cujus quidem rationem tradit *Clandinus* ex *Hippocrate*, Medicorum Principe, quod ſanguine ichoroſo luxurient. Et *Mercurialis*, haud infimi ſubſellii Practicus aſſerit, ſe in Hypochondriaca affectione Fonticulos nobile attuliſſe auxilium ſæpe expertum eſſe. Sed hæc Tibi ſufficiant, quæ Deus ad valetudinem tuam recuperandam efficacia eſſe velit. Vale, & me amare perge.

CONCIL. XXXVII.

In fluxu alvi Scorbutico, pro viro quodam reverendo.

AMicorum commodis & incommodis non minus ac meis affici ſoleo, V. R. quo fit, ut non poſſim non condolere vicem tuam, qui vix ac ne vix quidem à graviſſima & periculoſiſſima febri, quæ Te diu exuſſit reſpirans, in alvi fluxum non minus periculoſum incidiſti. Sunt morborum multi *Lernæ* paludis ſerpenti ſimiles,

ſimiles, cui cum *Hercules* unum deſecuiſſet caput, aliud confeſtim ſubnaſcebatur. Ex horum numero eſt Scorbutus, barbare ſic dictus, qui hactenus ſub variorum malorum larva ergaſtulum tuum miſere excarnificavit; cujus germana ſoboles eſt, qui Te affligit, Alvi fluxus, partim ab Hepatis debilitate, & venarum, alimentum non attrahentium, unde corrumpitur, oriundus; partim quoq; accommota ob Autumnalem aëris conſtitutionem ſeroſorum humorum colluvie. Qui quidem fluxus, ſi modeſtiæ fines non tranſcenderit, magno valetudinis tuæ commodo evenire poterit, atq; ideo non ſiſtendus erit, dummodo vires ſint ferendo. Cavendum ſedulo ab adſtringentibus, quæ materiam pravam & vitioſam in venis detinent atq; in viſcera magis impingunt; unde ægri in ſummas ſæpe anguſtias & maximam reſpirandi difficultatem; interdum etiam in animi deliquia & ſuffocationis periculum conjiciuntur. In conſultum duco corpuſculum tuum viribus effœtum pluribus onerare remediis. Unum & alterum ſaltem proponam, quibus debite obſervatis melior ſpero adſpirabit valetudine tuæ aura & fluxus facile cohibebitur. Velim primo ut quinto quoq; die aſſumas Bolum ex pulveris Rhabarbari ʒſ. cum Conſervæ Roſarum drachmis duobus permiſto, addito ſpecierum Aromatici Roſati ſcrupulo dimidio. Intermedio vero tempore capere poteris quantitatem Nucis moſchatæ

mane

mane & quarta pomeridiana de ſequenti Electuario. ℞ Conſervæ Roſarum rubrarum, & Abſinthii, ana ℥ij. Specierum Diarrhodon Abbatis & Roſatæ novellæ, ana ℈ij. Diatrion ſantalon ℈j. Croci Martis Corallini ʒj. Syrupi Cydoniorum q. ſ. Miſce fiat Electuarium. Hoc abſoluto autor Tibi fuerim, ut omiſſis omnibus hactenus præſcriptis totus Analepſi incumbas uſu lactis caprini ab ubere calidi hauriendi, dulcorando id ſacharo Roſato, adjectis Coralliorum, Lapillorum Cancrorum & Margaritarum pulveribus. Multis hoc in ſimili caſu fauſto *Apolline* cum optato ſucceſſu præſcripſi, cujus Tibi uſum fauſtum & ſalutarem eſſe velit Deus opt' max' qui ſolus omnium languores ſanat, cui Te tuaq; committo & commendo. Vale, V. R. meq; de ſtatu tuo fac ut certiorem reddas, qui Tibi omnia opto & precor felicia.

CONCIL:

Concil. XXXIX.

Pro puerulo quodam in quotidiana notha ad Medicum ejus.

SErius fortaſſis quam opinabaris ab amiciſſimo fieri, Vir Clariſſime, amice plurimum colende, gratiſſimis tuis literis reſcribere diſtuli, in quibus quid in chronico pueruli affectu, quem graphice mihi delineaſti, faciundum putem, ſcite aves. In cauſa fuit triduana mea abſentia. Equidem adhuc iu ſilentio perſiſterem, omnium ferme hujus ævi, ſed mulierc-ularum maxime genium & naturam in pueruli hujus matre vituperans, exotica vernaculis & è longinquo petita Conſilia domeſticis & forte etiam melioribus anteponentium, niſi tua in me urbanitas, imo ſummum, quod habes in me imperium vel ab invito reſponſum extorquerent. Morem itaq; conſuetudini & tuis potius votis, quam neceſſitati gerens lubens tua juſſa capeſcam, Tibiq; paucis judicium meum de pueruli iſtius afflictiſſimi morbo, ejuſq; cauſis, nec non cura inſtituenda, quam poſſum animo ſubmiſſe proponam. Laborat ille, niſi meum me fallit judicium, febri pituitoſa, quotidianæ æmula, ſenili, ſed & puerili maxime ætati ob ingluviem, ſi *Aetio* fides haben-da præ cæteris per quam familiari. Solent enim in cibo & potu, eorumq; cum qualitate tum quan-

quantitate, ordine etiam plurimum delinque. apetitui potius, quam rectæ rationi auſcultantes. Acceſſionis modus, vomitus, pituitoſus, ſomno lentia & veſpertinus paroxyſmi circa quartam pomeridianam inſultus, in multam uſq; noctem extenſus, unde & *Græcis* Antiphemerinæ nomine inſignitur, & alia, huic opinioni meæ favent, imo clariſſime mihi evincere videntur. Hæc ortus ſui primordia ex pituita dulci in ventriculo & prima corporis regione putreſcente derivat, cui generandæ frigida & humida ventriculi intemperies, cruditatum ferax, ſatis eſſe poteſt, quæ tamen à Catarrho ex ſacra Palladis arce in ventriculum, & pulmones etiam, unde tuſſis, depluo, plurimum fovetur. Hæ partes intima conſortii lege ſeſe mutuo lædere videntur, ut jam circulum illum inter cerebrum & ventriculum, cujus tam *Galenus*, quam *Avicenna* meminere, factum eſſe credam. Huic inquilino hoſti, lateri hujus pueruli mordicus hærenti, nec facile ob humorum craſſitiem & contumaciam ceſſuro, omnibus telis occurrendum, ſi favente *Apollinis* numine debellari poſſit, in hydropem alias longa mora, aut tabem, quod metuendum maxime, degeneraturo, ob tuſim miſellum graviter affligentem, paroxyſmi maxime invaſione, dum materia febrilis per vaſa pulmonum movetur. Quodſi tuum appoſueris calculum, ſuaſerim huic puerulo leve aliquod vomitivum horis aliquot ante paroxyſmum exhibendum, habitum ætatis & virium reſpectu, quæ ſemper tuendæ,

Probarim in hunc finem decoctum ſeminum Atriplicis & Raphani conquaſſatorum, addendo Oxymel ſimplex vel etiam Scilliticum; aut hujus loco ſeminis Urticæ ʒſs. cum ſero lactis Cereviſia ſegregati propinanda. Multum ſane commodi ab hoc remedio expectandum cum ventriculus in hac febre afficiatur & æger etiam per ſe vomat. Everriculum hoc ventriculi excipiat humorum præparatio hoc vel ſimili modo. ℞ Radic. Cichorii ʒj. Petroſel. Fœnic. ana ʒſs. Glycyrrhizæ raſ. ʒij. Herbar. Beton. Agrimon. Capillor. Vener. ana M. j. Florum Camomill. p. ij. Seminum Aniſi, Fœnicul. ana ℈iiij. Fiat omnium decoctio in ſ. q. aq. ad ℥xij. cum colatura. In qua diſſolve Oxymellis ſimpl. & compoſ. ana ℥jſs. Miſce pro quatuor doſibus. Hoc modo præparata materia pituitoſa evacuatio inſtituatur infuſo Agarici cum corrigentibus, addito ſyrupo Roſarum cum Agarico & aquæ Cinamomi ʒj. Quodſi pulvis potius arridet, detur Mechoacæ ʒſs. cum Cremor. Tart. ℈ſs. & Cinamomi granis quinq. Sudorifera quoq, in hac febri magnam habent utilitatem, quæ tamen in pueruli ætate vix poſſunt adhiberi, cum debite gubernari nequeant; Stomacho ſaltem corroborando omni ſtudio inſudandum, à quo totius fundi calamitas. In hunc finem conducet Syrupus de Mentha Cochlearis quantitate frequenter vacuo ventriculo aſſumptus vel hujus loco Electuarium. ℞ Conſervæ Menthæ, Betonicæ, Anthos, ana ℥j. Cortic.

Citri

Citri condit. ℥ß. Myrobalan. cond. nº. j. Rad. Helen. cond. ℥iij. Spec. Aromat. Roſ. ℈ij. Tunicar. interiorum ventriculi gallinæ ℈iiij. cum Syrupo de Mentha & Cortic. Citri q. ſ. fiat Electuarium. Novi qui pulvere Tunic. interior. ventriculi gallinæ ſeſe à febribus intermittentibus vindicarunt. Interim topica minime omittenda. Fovendus ſedulo ventriculus decocto radicum Cyperi, Menthæ, Abſinthii, Roriſmarini, Roſarum rubrarum, florum Camomillæ, Semin. Coriandr. Fœniculi, Nuce moſchat, Caryoph. & ſimilibus in Vino decoctis, ſuperimponendo herbas expreſſas ſacculo incluſas; vel hujus loco Emplaſtrum ex Carannæ in aq. Cinamomi ſolutæ ℥j. Emplaſtr. è bacc. lauri ℥ß. pulv. Diagalang. ℥ij. cum ol. Macis q. ſ. aut Balſam. Peruv. Fiat Emplaſtr, pro ſcuto Stomachali ſyndone obtegendum. Sed hæc ſufficiant ne *Minervam* inſtruere velle videar. Tu hæc qualiacunq; æqui boniq; conſule, meq; amare perge, qui Tibi optima quæq; auguror & opto.

Concil. XXXIX.

In aquæ potu pro viro quodam reverendo in ventriculi aciditate.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ, V. R. & tantum abeſt, ut earum tædio afficiar, ut anſam mihi dari cupiam, quæ poſſit opera mea cedere in emolumentum tuum, ſi fieri poſſit, uberrimum. Hoc ſaltem male me habet, quod me inconſulto ſine ullo canis morſu ὑδροφοβικὸς, aquæ potui, quem ex conſilio meo inſtituiſti, vix ac ne vix quidem guſtato, valedixiſti. Eam Tibi pro medicamento, ut noſti, non alimento ſuaſi. Utut ſit, non video, cur aliquid immutandum, vel unguem, quod ajunt, latum, ab iis, quæ antehac præſcripſi, ſit decedendum, juxta illud *Hippocratis* Medicorum Principis, Rationi conſentanea facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, ſtante eo, quod à principio viſum eſt. Rationes, quas in medium producis, non ſunt tanti apud me momenti, ut propterea non debeas eſſe hydropota. Quam efficaces ſint gulæ voluptates vel ex eo colligere potes, quod homines aqua non contenti, cujus uſu primo ævo adepti ſunt vitam longævam, varia invenerunt potus genera, ut Vinum, Mulſum, Cereviſiam, Pyraceum, Pomaceum & alia, ne ſcil. ulla potandi illecebra deeſſet. Sed rectius, me quidem

dem judice, in aquæ potu acquieviſſent. Aqua enim omnium animalium potus eſt naturalis, omnis qualitatis expers, vino ipſo longe utilior & ventriculo magis proficua, ſi modo in potu ejus modeſtiæ limites non exceſſeris. Siquidem ut perhibent Philoſophi, unum quodq; à ſimili alitur & confirmatur. Ventriculi temperamentum, ſi *Cardano* & aliis fides habenda, frigidius eſt aqua, quanto magis vino aliiſq; modo dictis liquoribus? De quo ſuum ſit cuiq; judicium. Sed concedamus Tibi, quod objicit, aquam refrigerare, flatus & cruditates generare, non facile tranſire, Catarrhis anſam præbere & ejus farinæ alia. Annon Vini *Hiſpanici*, ut juſſi, admiſtione frigiditas ejus temperatur, & cruditates aliaq; mala corriguntur & impediuntur, ut omnium optimus evadat potus? Id quod olim *Melampus*, Medicus ſui temporis illuſtris, quem *Homerus* filium *Amythaonis* ex patria *Argum* fuiſſe dicit, probe percepit, qui omnium primus aquam vino æquali miſcere pondere docuit; ne ſcil. præcordia mero nimis incaleſcerent, & caput gravaretur, aut aquæ frigus interna viſcera oblæderet. Unde *Hermes Ariſtophanis* in *Pluto* exclamat, οἶνον ἢ κύλικα ἴσον ἴσῳ κεκερασμένην. Et *Hippocrates*, Anxietatem, oſcitationem, horrorem, vinum inquit, pari portione aquæ temperatum, epotum ſolvit. Scripſi ad Te antehac de commodis aquæ vino permiſtæ, quæ jam repetere nolo, ne crambem coctam recoquere videar. Certe, ſi quicquam, potus hic calorem viſcerum ſuperfluum extin-

guet & humectabit, excrementa educet, & quod omnium commodorum maximum & veluti caput eſt, obtundet ventriculi aciditatem, tantarum in corpore tuo cauſam & principem turbarum fontem. Omnia enim vina tenuiora præſertim Gallica & Rhenana, tartaro magis, quam ſpiritu luxuriantia, quemadmodum alii quoq; fermentati liquores, ut Pyraceum, Pomaceum, Cereviſia, *&c.* facile in ventriculo aceſcunt, unde malorum Iliada. Solum vinum *Hiſpanicum* impermiſtum nunquam aceſcit. Perge itaq; in uſu aquæ vino *Canarino* vel de *Malaga* permiſto. Quod ſi hic potus minus arriſerit ventriculo tuo, *Hiſpanorum* more in aquam ferventem projicito fruſta aliquot Cinamomi optimi integri, & poſt aliquot ebullitiones liquor refrigerari ſinatur & colatura bibatur in paſtibus & extra paſtus; aut hujus loco ℞ Cinamomi electi ʒſſ. Infundatur in aquæ limpidæ bullientis ℔ij. per horas aliquot, in vaſe lapideo optime clauſo. Refrigeratum coletur per Manicam *Hippocratis* in cujus cono ſint medullæ Panis albiſſimi ʒij. & Sacchari albiſſimi ʒiiij. & aliquoties tranſcolatum aſſervetur pro potu. Poterit etiam in eundem finem parari aqua decoctionis ligni Saſſafras, addita parva quantitate interioris Scobis Guajaci. Guajacum enim ventriculum valde roborat, quod etiam ſolitarium poteſt aquæ incoqui & decoctum condiri Coriandro vel Cinamomo. Totus in eo ſum, ut impediatur potens fermentationis calcar Aciditas, quæ

Sto-

Stomachi deſtruit tonum, ſanguinis maſſam reddit liquidiorem & ad fluxum pronam, omniaq; quæ Te hactenus torſere incommoda renovare & adaugere potis eſt. De cæteris conſule conſilium meum ab initio datum, imprimis vero de chalybis uſu, in quo totius curationis cardo per me vertitur. Plura non addo. Tu his fruere in tuum commodum meq; amare perge.

CONCIL. XL.

In urina cruenta cum lumborum & capitis interpolato dolore tuſſicula pro viro quodam ſpectabili.

GRaviter moleſteq; fero, Vir integerrime, quod graviſſimo affectu proſtratus imo pectore ingemiſcis. Ut ſicco pede præteream hypochondriacam affectionem, quæ Te miſerum à multis annis crudeli carnificina emaceravit: tria ſunt maxime, ut refers, quæ nunc temporis afflictiſſimæ valetudini tuæ incommodant, urina cruenta, dolor ſecundum lumbos dorſo duriter incumbens; non quidem vagus & errabundus, ſed eo loci fixus, magno interdum æſtu effervescens, quibus accedit capitis dolor interpolatus cum tuſſi humida. Horum malorum cauſa omni ſtudio indaganda erit, ut cognita eorum natura & vero ſchemate, debita iis remedia aſſignentur. *Galenus*, communis Me-

dicorum Præceptor & Judex, nullum certius esse argumentum inquit, quo pars affecta deprehendi possit, quam quod ab actione læsa depromitur. Cum vero urinæ permutatio aut ad renes aut vesicam pertineat, necesse est urinam cruentam vel renum, vel vesicæ vitio excerni. Hujus vero culpa fieri, rationi minime consentaneum est, quod vesicæ cum lumbis, quos dolor lancinat, nihil est consortii. His adde, quod cum sanguis minus cum urina in vesicæ morbis commisceatur, quam in renibus affectis, utiq; à vesica profluere improbabile est, siquidem urina usq; adeo diluta exit, ut sanguis vix longo tempore in matulæ fundo resideat. Major enim fit in longiori itinere mixtura. Ex quibus renes affectos esse facile est vel leviter in medica praxi exercitato colligere, præsertim cum eorum regionem dolor possideat. Ubi dolor ibi morbus. His attestantur Summi in Medicina Dictatoris Aphorismi: *Quicunq; sponte & repente sanguinem mingunt, iis in renibus venula rupta significatur: Si vero sanguinem mingunt, aut grumos, vel stillicidium urinæ habeant & dolor infimum incidat ventrem & pectinem atq; perinæum, ad vesicam labor est.* Quod vero hujus mali causam attinet, ea, nisi mea me fallit opinio, à nimio motu & exercitio est derivanda, cum pedes in Syrio æstu *Mustonio Dorchestriam* deambulabas. Nec enim memini Te ante illud tempus unquam cruenta minxisse aut de lumborum aliquo dolore conquestum esse. Motu isto insolito non

tantum

tantum dorſum, ſed & renes vicinitatis & conſortii lege excalefactos, imo præ fervore laxiores redditos judicaverim, ſanguine etiam æſtu colliquato & attenuato, unde apertis renum meatibus & venulis iiſdem infertis, urina evaſit cruenta, quæ tamen mox ad naturalem ſtatum rediit. Ab eo tempore idem malum concitatiore motu ſemel atq; iterum ſine inſigni aliqua corporis perturbatione recruduit, niſi quod lumborum regio crudeli dolorum carnificina efflictim emaceratur. Quem quidem dolorem non in ſimplicem intemperiem ſed cum materia, eaq; acri, referendum puto, ob aduſtos humores in corpore tuo redundantes, cum Cerebrum in Te ſit affectum, ac de Hypochondriorum æſtu continuo ſis querulus, concurrente temperamento calido & ſicco. Huic affectus ut medicam manum bonis rebus tuis adhibeas, cavendum ne ſanguis ſtatim cohibeatur adſtringentibus & glutinantibus, ne citius, quam par ſit, cohibitus, incraſſatus alicubi grumeſcat. Ac primo quidem velim ut phlebotomiam parca manu inſtituas in dextro cubito ad revellendum à renibus ſanguinem, quam non ſine commodo repetere poteris. Et cum corpuſculum tuum acribus & aduſtis humoribus luxuriet, recte feceris, ſi eorum evacuationem inſtitueris hoc vel ſimili modo. ℞ Rhabarbari parum torrefacti ʒij. Squinanthi, Cinamomi, ana ʒj. Inciſa & ligata in petia infundantur hor. viij. in aq. Plantaginis, Acetoſæ & Endiviæ, ana q. ſ. Poſt facta expreſſione ſorti colaturæ

turæ adde ſyrupi Roſar. ſolutiv. & Myrtillor. ana ℥j. Miſce, fiat hauſtus. Evacuatione abſoluta ad ea properandum, quæ ſanguinem cohibere & venas conſtringere apta ſunt. In eum finem conducet Electuarium ſequens. ℞ Conſerv. Roſar. rubr. Diacydon. ſimpl. & Conſer. radic. Symphyt. ana ℥j. Troch. Alkakeng. Gordon. ana ʒj. Cornu Cerv. uſti præp. Corall. rubr. Lapid. hæmatit. ana ℈ij. Sem. Plantag. Acetoſ. ana ℈j. Miſceantur & cum Syrupo de ſucco Portulac. & Myrtin. fiat Electuar. ter in die horis medicis Juglandis quantitate aſſumendum, ſuperbibendo hauſtum ſequentis Apozematis. ℞ Radicum Symphyt. maj. ℥j. Glycyrrh. ʒiij. Folior. Plantag. Portulac. Equiſeti, Burſæ paſtor. & Milleſolii flor. alb. ana M. j. Florum Roſar. rubr. Nymphææ alb. ana Mß. Sem. Acetoſ. Plantag. Portulac. ana ℈j. Coq. in ſ. q. aq. ad ℥xx. cum colat. in qua diſſolve Gum. Tragacanth. & Arabic. ana ʒj. & adde Syrup. de ſucco Portulac. ℥ij. Myrtin. & Cydon. vel de Roſ. ſiccis, ana ℥j. Spir. Vitr. gut. x. Miſc. fiat Apoz. Vel hujus loco conficiatur Julapium cum aq. folior. tenell. Quercus, Portulacæ, Plantag. Equiſeti, adjecto Syrupo de Symphyt. Myrtillor. Corallorum & ſimilibus. Extra vero affricetur renum regioni bis in die unguentum ex æquis partibus butyri Saturni & unguenti Roſacei adjecta unguenti Comitiſſæ portiuncula. Quodſi fieri poſſit, velim utaris ante hanc inunctionem balneo aquæ dulcis temperato & caloris

loris exceſſu carente, cui cineres ligni quercini copioſe ſint immerſa, additis herbis adſtringentibus, Symphyto, Equiſeto, Plantagine, Burſa Paſtoris, Salici, Roſis & ſimilibus. Sed hæc ſufficiant. Si quid præterea corporis tui conſtitutio poſtulaverit, quod Medici officium requirat, in eo præſto ſemper erit mea quantulacunq; opera. Vale & vive.

Concil. XLI.

Pro Viro quodam nobile in pituitoſa materia bronchiis pulmonum impacta cum tuſſi ad filium ejus.

PErgrata mihi fuerunt Evangelia de ſpe in literis tuis facta recuperandæ nobiliſſimi parentis tui priſtinæ valetudinis, quam *Plutarchus Polyhiſtor* ſcite admodum ait divinum maxime, longeq; blandiſſimum eſſe condimentum. Hæc ſane, quantum omnes divitias antecellit, ſi ſanum adhibeas judicium, tanto omni ſupellectile charius eſt donum, quod à Deo, omnis boni largitore, mortalibus eſt datum. Bene habet. Deſæviere quodammodo poſt hactenus adminiſtrata auxilia alvi dejectiones crebræ, deferbuit febris lenta ad hecticam declinans, quæ ſenibus utplurimum exitialis eſſe ſolet; reviviſcunt effœtæ, ut ſcribis, morbo vires & urina ad naturalem ſtatum redit. Reſtat pituitoſa materia, pulmonum bronchiis impacta,

pacta, moleſtam tuſſim excitans faucibuſq; hærens: Bona ſemper in bonis habenda ſunt, & optandum, ut debile principium melior fortuna ſequatur. Petis, quid porro faciundum duxerim, paucis indicarem. Equidem non video cur novo opus ſit conſilio, vel a dato ne unguem quidem latum diſcedere debeamus, cum adeo feliciter hactenus ceſſerit. Omnia ſecundum rationem facienti, inquit venerandus Medicorum è Coo Senex, ſi non ſecundum rationem ſuccedant, multo minus, ſi votis reſpondeant, tranſeundum ad aliud, manente eo, quod à principio viſum. Hoc apud me ratum, quod quæ ſemel adminiſtrata juvarunt, ea quoq; ſæpius repetita & non interrupto filo continuata, ſanare poſſe: Itaq; ne crambem importune recoquam, ſi Parentem nobiliſſimum dicto audientem habuerim, velim, ut aliquandiu indefeſſo labore perſeveret in iis, quæ antehac injunxi. Ad ſuperandos enim morbos chronicos & mordicus hærentes longo temporis ſpatio opus eſt, alias cum calumniæ periculo & artis dedecore operam ludet Medicus, æger vero ne hilum quidem proficiet. Nolim à Nobiliſſimo parente tuo valedictum decocto hordei cochleis medicato, in quo maximam eorum, quæ dari poſſunt, ſpem repono, utpote potentiſſime nutriente. Incoqui etiam poterunt juſculo aliquo, ſi decoctum hordei ventriculo non arriſerit. Male ſane rebus ſuis conſulit, dum inconſultis Medicis tranſultorie ab uno ad aliud tranſit præſidium. Lac caprinum, cujus uſum denuo

aggreſ-

agreſſus eſt, inſigne eſt analepticum, profuturum utiq; ſi omnia conſpirarint, quod in curandis morbis requiritur. Miror ſane intermiſſionem ejus me ſic jubente, tantopere improbari à Medico veſtro, urgente Febri & Catarrho, oblito forſan ſummi Dictatoris noſtri Aphoriſmi, dum lac dare ait, caput dolentibus, malum & febricitantibus & quibus Hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis, malum etiam, quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt dejectiones. Hoc Aphoriſmo fretus diſſuaſi lac in ægro manifeſta febri laborante cum alvi fluxu, quia plurimo calore in nidorem abire ſolet & in febricitantium ventriculis corrumpi, adeoq; febrim augere conſuevit. Non me latet, quod lac cum aquæ aliqua portione coctum minus coagulationi & corruptioni obnoxium redditur, ſed & magis obſtruit vaſorum obſtructiones in ſubjecto præſertim plurimis obſtructionibus laborante. Nec adjicitur aqua ad temperandum, ut refers, calorem lactis, cujus non eſt particeps. Omne ſiquidem lac refrigerat & humectat, ſed ne facile coaguletur & corrumpatur. Quid quod lac coctum empyreuma contrahit, & coctione calidius quodammodo evadit, quin & naturalis ejus ab ubere calor alieni admiſſione evaneſcit, qui neſcio, an non tantum proſit, ac lac ipſum. Interim experiatur nunc febri bonis avibus extincta nobiliſſimus parens, cum jam incœperit, dummodo probe à ventriculo confi[illegible]iatur, nec in eodem acceſcat & corrumpatur aut in caput exhalet,

aut

aut Hypochondria flatu diſtendat, quod ſi pereœperit, præſtabit idem omittere, quam in ejus uſu perſeverare. Continuet aquæ ex ſanguine vitulino & lacte cum ſuccis deſtillatæ uſum, quæ & tuſſi leniendæ & Scorbuto debellando egregie eſt accomodata. Cum vero de materia pituitoſa bronchiis pulmonum impacta nec non moleſtiſſima tuſſi ſit querulus, duo ſaltem in eum finem adjiciam. Ac primo quidem conficiatur Zythum medicatum. ℞ Millepedum nº. 500. Tuſſilagin. ſicca, Capillor. Vener. Scabioſæ & Hederæ terreſtr. ana M. ij. Paſſularum exacinat. ℔j. Millepedes contunduntur, herbæ incidantur & ſuſpendantur in ſacculo in Zythi congiis quatuor, & poſt quinq; vel ſex dierum ætatem utatur pro potu ordinario ad reſolvendam pulmonum mucilaginem tartaream. Poterit aliquantulum mellis addi. His tandem accude Tabellas de Mucilagine radicum Altheæ, pulvere Liquiritiæ *Hiſpanicæ*, ſpeciebus Diatragacanth. frigid. & Diaireos, nec non lacte aut floribus Sulphuris paratas, frequenter in ore tenendas. Pluribus nobiliſſ. parentis tui corpuſculum onerare inconſultum duco. Oro autem Deum ſalutis fontem inexhauſtum & Medicæ artis ſummum moderatorem, ut conſiliis noſtris feliciter adſpirit. Vale meq; ſolito favore amplecti perge.

CONCIL.

CONCIL. XLII.

In impetigine pro nobili puero ad Medicum quendam.

JAm dudum mihi in votis fuit, Vir clariſſ. ut Tibi aliquando innoteſcerem. Hactenus neſcio quis me pudor ruſticus à Te compellando detinuit, fama quidem & ſingulari artis, quam communem mecum profiteris, dexteritate, ſed conſuetudine paucarum ſaltem horarum mihi noto. Nunc data opportunitate eam utiq; ambabus manibus arripere volui. Communicavit Tibi, quantum audio, Vir nobiliſſimus, virtutum integritate, & ſtemmatis claritate avito majorum generi ſimillimus, Dn. *G. I.* conſilium meum filiolo ejus natu maximo incuranda, ſi fieri poſſit contumaci Impetigine vel potius Serpigine datum, ut conjuncta opera noſtra annuente *Apolline* à tam moleſta & fœda labe vindicaretur. Hactenus plurima à nobis in hanc rem tentata ſi non ex votis ſucceſſere, id neq; arti, neq; artifici, ſed ſubjecto laboranti imputandum, cujus univerſa calidior & ſiccior conſtitutio, ex cordis & viſcerum naturalium, hepatis maxime, calida & ſicca intemperie reſultans, magnam aduſtorum, ſalſorum & terrenorem humorum copiam generat, qui poſtea cum ſero in venas delati ſanguinem inquinant, & poſtea à Natura, rebûs ſuis conſulente, in

extremam

extremam cuticulam protroduntur. His generandis materiam præbet alimentum ad corpus delatum, quod licet optimum forſan ſit, attamen vertitur hepatis fervidioris vitio in aduſtum & terrenum, præſertim cum nobiliſſimus puer eſſentiale hujuſmodi temperamentum à Natura, rerum parente, nactus eſſe videatur. Quodſi improba victus norma accedat, idem facilius eveniet. Solet enim puerilis ætas in victu & ſex rebus non naturalibus plurimum delinquere, appetitui potius, quam rectæ rationi auſcultans, & ſine delectu obvia quævis palatui arridentia ingurgitare & in exercitiis, ſæpe etiam intempeſtivis, immoderatior eſſe. Hinc meo quidem judicio totius fundi calamitas. Plurima eaq; efficaciſſima huic nobili puero parentum pietate & φιλοπρωτία cum à me, tum & aliis ſuperiori anno præſcripta & in uſum adhibita fuere præſidia, ſed reluctante & infauſto *Apolline* parum profecimus, ideo ſuaſi lac aſininum omni mane calide bibendum in corpore macilento & temperamento calido & ſicco. Suaſi etiam balneum aquæ dulcis herbis quibuſdam medicatum, æſtate inſtituendum. Diſplicet Tibi lactis uſus. Quibus id fiat rationibus haud gravate indicabis. Siquidem mihi remedium in hoc ſubjecto accommodatiſſimum eſſe videtur, nec video, quomodo nocere poſſit. Lac omne facultatem habet moderate refrigerandi & ſubſtantifice humectandi ac humorum acrimoniam temperandi, ſed & detergere non eſt dubitandum. Quodſi vero lac

non

non admiſeris, ejus loco ſerum lactis, Rad. Oxylapathi, Fumaria & ſimilibus medicatum ſubſtitui poterit. Balnea ab utroq; noſtrum probantur. Proponis Trochiſcorum de viperis uſum, in morbis ſubcutaneis comprobatum. Mihi quidem, quod pace tua dixerim, mire ſuſpecti ſunt, quemadmodum & vinum viperinum. Non me latet viperas à veteribus magnis in Elephentiaſi curanda encomiis celebrari. Habet enim caro viperina vim egregiam diſcutiendi, digerendi, diſſolvendi & materias in cute hærentes expellendi, nec non cutem renovandi, ut quaſi ſerpentis ſenecta decidat; unde & paſtilli & alia medicamenta ex eadem carne parata non ſine commodo in affectibus ſubcutaneis adhibentur & præſcribuntur. Et recenſet *Galenus*, medicæ ſcholæ fulgentiſſimum jubar, hiſtorias aliquot, ab Elephantiaſi viperarum uſu reſtitutorum, & inter eos, ni fallor, *Thracis* cujuſdam Elephantiaci, qui ſomnio ab *Æſculapio* commonefactus medicina ex viperis conflacta perfectæ ſanitati fuit reſtitutus. Et *Quercetanus* meminit duorum viperarum ope à lepra vindicatorum. Sed cura non ſemper ſuccedit, niſi in primo hujus mali ortu inſtituatur. Et notat *Julius Palmarius*, *Fernelium*, quamvis diligentiſſime ſtuduiſſet aliquos viperarum uſu reſtituere, nunquam tamen in tota vita voti compotem factum fuiſſe. Et hujus monitu *Palmarius* ipſe viperas, aliter & aliter paratas, & ipſam etiam Theriacam, viperarum carnem in paſtillos redactam, pro baſi

habentem, exhibuit pluries ſine ſperato ſucceſſu. Etſi enim, ut refert idem per initia prodeſſe videtur hoc remedii genus, attamen eo ſaltem Elephantiacam virus in cutem propelli atq; omnia ſymptomata hoc modo exaſperari ſcribit. Multi ſunt hoc ſeculo Medici, in quorum cenſu ſunt practici hujus inclyti regni, qui in Lue venerea & aliis cutis defœdationibus vino viperino utuntur, quod etſi multi impune biberint, aliis tamen male ceſſiſſe audivi. Præſtat tutis & longa experientia probatis uti, quæ ſi forſan non proſint, nullo tamen modo noceant. Vereor ſane, nec ſine ratione, ut viperarum uſus ſit tutus in puerili ætate & conſtitutione calida & ſicca. Noſti probe ex *Paulo*, viperas calidam & ſiccam nactas eſſe temperaturam & præſertim ſi in locis aridis æſtivo tempore degant, *Aetii* ſuffragio, quarum caro impenſe calefacit & ſiccat, ut notat Avicenna. Hinc oleum viperinum vehementiſſime reſolvit. Quodſi dubitas, vividitas, agilitas & ferocitas hujus in ſectæ venenatiſſimæ quicquid nonnulli ſentiant, veneum illis denegantes; Imo nomen ipſum hoc evincit. Dicitur enim vipera, quod ſit vivipara & coeat, ſed & quia vividæ & vividiſſimum pariunt animal, excedentis caloris manifeſtum indicium. Hinc viperarum eſum inextinguibilem fere ſitim afferre, qua nec majorem *Tantalus* apud inferos ſuſtinuerit, autor eſt *Galenus*, quæ non alia ratione evenit, quam ob ingentem, quam viperina caro poſſidet, calorem

lorem & ſiccitatem. Quodſi itaq; nobiliſſimus puer calido temperamento prædituſ eſt, ut ſupra indicavi, à calidis utiq; & ſiccis medicamentis, cujus indolis ſunt omnia, quæ viperas recipiunt, cane pejus & angue abſtinendum erit. Nec enim paſtilli Theriaci, nec venenatæ viperarum carnes, quovis modo & arte præparatæ, ſiccam partium conſtitutionem corrigere poſſunt, ſed omnia depravare & venenata pernicie inficere. Sed hæc de viperis ſatis ſuperq;. De cætero non video cur à nuper præſcriptis ſit ad alia tranſultorie progrediendum. Pergat in Apozemate cui adjiciat ſeri lactis Boragine, Cichorio, & ſimilibus Medicati, uſum, ſi lactis aſinini diſplicet. Extra vero uti poterit oleo viperino, aut unguento de Chriſocolla mox à balneo affricandis. Hujus hæc eſt deſcriptio. ℞ Chriſocoll. Nitri, ana ʒij. Sulphur. vivi ℈iiij. Unguenti pomati & albi Camphorati, ana ʒſs. Olei Tartari per deliq. & ſucci limon. ana q. ſ. Miſce, fiat Liniment. cui addere potes, ſi libet, olei Vitrioli ℈j. Sunt qui oleum Ceræ cum æquis partibus olei Tartari permiſtum mire commendant, alii premiſſa purgatione illinunt fæcem vini uſtam, cum quadam aqua appropriata vel ſaltem communi. Quaſi enim in puncto adurit Lichenem. De diæta antehac monui. His ſi nobilis puer obtemperabit, non dubito, quin adſpirante divina gratia multum præſidii ſit inde conſecturus, quod ut fiat, ſerio & opto & precor. Vale.

Concil. XLIII.

Ad virum quendam reverendum molle quoddam & concavum corpuſculum inſtar ſeminis Cucurbitæ cum urina rejicientem.

TRaditæ mihi ſunt literæ tuæ, V. R. cum capſula, in qua incluſum mihi tranſmiſiſti corpuſculum membranaceum molle & concavum, ſeminis Cucurbitæ formam referens cum urina rejectum. Imploras ea de re judicium meum. Ob id libens tua juſſa capeſſam. Nec enim quicquam tam arduum novi, in quo non libenter Tibi obſecundarem. Mira ſane ſunt & ſtupenda, quæ Natura, rerum parens, arcano quodam operandi modo efficere ſolet. Effingit illa ſæpiuſcule, pro materiæ ſubjectæ, in quam operatur, diſpoſitione, admirabiles formas, varias & interdum monſtroſas prorſus temperationes. Hinc tot & tam mirandæ, tum in vegetabilium, tum animantium regno cœliq; tractibus, rerum formæ, proprietates, diſcrimina, & miræ virtutes. Ut ex multis vel potius infinitis unum aut alterum in medium proferam; quis non attonitus ſtupeſcat, qui viderit humilem illam herbulam, quam rei botanicæ periti Mimoſam ſeu ſenſibilem vo-

care

care ſolent, attingere eam volentibus reluctare & contractis ac quaſi areſcentibus foliis manus tactum refugere? Quis non rei raritate perculſus miretur, intra hominem tineas & lumbricos & alia ejuſmodi animalcula, variæ cum formæ, tum longitudinis, nec non alia corpuſcula, non tantum in inteſtinis, ſed & aliis corporis partibus, naſci & gigni, quorum indubiæ fidei autores paſſim in obſervationibus ſuis mentionem faciunt? Ita nuper admodum occurrit mihi Vir ſpectatiſſimus, qui non ſine ſummo animi ſtupore, animalcula quædam vermicularia, hirſuta atq; atrovireſcentia, hordeacei grani magnitudine cum lotio rejecit; mortua nonnulla, alia vero adeo vivacia, ut fuga vitæ conſultura è matula celeri ſatis paſſu reperent. Unde hæc? Certe à natura, ludos in operibus ſuis faciente, quæ ſic ſæpe ludit, ſic mirificas vires ſuas exerit, ut quod illi ludus eſt, nobis miraculi loco habeatur. Quod in hoc eventu ejecti abs Te per urinam corpuſculi, ſeminis Cucurbitæ formam referentis, abunde perſpicere licet, de quo, ut quæ mea ſit ſententia, ratiocinatione, qua decet Medicum, aggrediar. Hoc à renibus ejectum puto à ſitu doloris, cum de lumborum dolore dudum fueris conqueſtus. Proculdubio ex materia aliqua pituitoſa, craſſa & lenta, ſequaci tamen, ex cibo craſſi ſucci producta, renum calore ſiccata, ortus ſui primordia derivat. Quum enim in renibus pituitoſa & mucoſa plurima ſæpe coacervari

 contingat,

contigat, efficitur, ut pro varia nativi caloris, præcipui animæ in obeundis naturæ operibus organi, in hæc pituitoſa actione, variæ gignantur rerum formæ, vermes, pili & filamenta & ejus farinæ alia, de quibus paſſim apud autores. Ad præ cavendum in futurum hoc malum, quod tantum Tibi terrorem incuſſit, obſervata proba victus ratione, eaq; attenuante, quæ auxiliis compar magnum habet in omni medicatione momentum, neceſſe erit, ut ſubinde materia, quæ in optima quandoq; diæta colligitur, & hujuſmodi figuris generandis apta eſt, mature evacuetur, antequam ad renes perveniat. In eam rem conducet vomitus intervallis quibuſdam inſtitutus, vel immiſſo in fauces digito horis duabus poſt largiorem cœnam, vel ℞ Corticum Raphani ʒij. folior. Atriplicis & Malvæ, ana M. j. florum vel ſeminum Anethi p. j. Coque in jure gingui ad ℔ß. cum colatur, cui adde Oxymel. ſimpl. ʒij. Miſce, fiat vomitorium Vitriolum album depuratum bene facit, & præter evacuationem, ſi bene detur, ventriculo robur conciliat. Optimæ operationis uſuale mihi eſt vomitorium ex medulla ſeminum Cataputiæ majoris, quæ cum paucis amigdalis trita, affuſa pauca aqua hordei dabit lac ſive emulſionem tantillo Sacchari dulcorandam. Dari poteſt à ſeminibus xx. ad xxx. ſi poſt repletum cibis ventriculum etiam validiſſima vomitoria propiñentur, nihil eſt ab ipſis periculi. Abſoluto vomitu inſtituatur primarum viarum everriculum cum

Caſſiæ

Caſſiæ ℥ß. Terebint. ʒij. Miſce & cum pulvere Liquiritiæ fiat bolus. Hinc deveniendum ad ea, quæ materiam, pituitoſam in renibus hærentem, ne in iis moram trahat, abſtergendam ſunt accomodata. In eam rem ſuaſerim Tibi cereviſiam hedera terreſtri medicatam, adjecta mellis portiuncula, pro potu ordinario uſurpandam. Hæc ad tartarum & materiam pituitoſam, in renibus hærentem incidendam, reſolvendam & abſtergendam egregie conducet, cui non male adjicies Aſellos ſive Oniſcus, in locis humidis, cellis & ſimilibus, ſub lapidibus & vaſis aqua repletis, habitantes, qui ad tactum ſeſe contrahunt & rotundant. Poſſem alia adjicere, ſed hæc pro tempore ſufficiant. Tu his fruere in commodum tuum uberrimum, meq; inter amicos tuos numera. Vale.

Concil. XLIV.

In quartana Febri pro Viro quodam reverendo.

GRaviter moleſteq; fero, V. R. publice jam graſſantibus ubiq; locorum febribus, Te quoq; irato *Apollinis* numine inter complures proſtratum decumbere. Variæ ſunt nec unius generis febres iſtæ, quarum aliæ quotidie affligunt, aliæ tertianæ typum obſervant, nonnulla quartanam æmulantur, & ſunt quædam ex continuarum numero, omnes vero putridæ, ſubjecti ratione variantes, ſed ab eadem communi cauſa oriundæ, quæ, meo quidem judicio non eſt alia, quam elapſæ æſtatis calida & ſicca aëris conſtitutio χολοποιὰ. Et quantum dedita opera obſervare potui, ea maxime corpora his febribus ſunt obnoxia, quæ pravi, viſcoſi, crudi aut putridi humoris abundantia ſunt onerata. Hæc enim in viſceribus venarum & meatuum obſtructiones, obſtructiones putredinem, hæc vero febres, ut genuinam ſobolem, parit. Quæ Te proh dolor! meliori fortuna dignum, exurit, quartanarum cenſui annumeranda eſt, ab aduſtis humoribus circa Lienem effervescentibus, ſed & venoſo generi communicatis, ortus ſui primordia ducens. Et vereor, ne longa ſit & *Saturnina* atq; lateri tuo mordicus hærens, ideoq; diligenti curatione & exquiſita victus

victus ratione opus habebit. Nam ex *Hippocratis* oraculo, Autumnales morbi ut plurimum ſunt longi. In hac febris cura ſi vel leviſſimus committatur error, in pejus ruit, vel in duplicem aut triplicem degenerans, vel ex hac in continuam & nonnunquam in alium morbum tranſmigrans, quod & citra ullum errorem non raro contingit. Ita non ita pridem occurrit mihi in praxi mea vir quidam plebeius, quartana per paucas ſeptimanas detentus, qui ſpretis ob res domi auguſtas auxiliis, ſubito Hypogaſtrii & virilium ſphacelo correptus vitæ finem fecit, amiſſa per duos paroxyſmos febri, materia febrili proculdubio à Natura eo loci amandata, quæ ſemper principum partium præſervationi ſtudet. Mirari ſæpe ſubit *Phavorinum*, febrim hanc, quarto die reducem, ut ſalutarem, argutæ orationis lepore collaudare, ejuſq; declamationis Thema, *Platonis* ſuffragio, qui à quartana convaleſcentes, reſarcitis viribus, conſtantiore valetudine victuros refert, corroborare, nec non illepido *Græcorum* Adagio comprobare, ἄλλοτε μητρυὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ. Scilicet febrim hanc, biduo quaſi ſanitatis medio intervallatam, eo putat fortunatiorem eſſe, quod in ea ſit una noverca, duæ vero matres. Ejuſdem opinionis fuit *Hippocrates*, alter ille medicorum *Apollo*, febrim hanc natura ſua ſecuriſſimam & ob exacerbationis intercapedinem toleratu leviſſimam eſſe, quæ noxios humores depaſceret, ꝛ plerosq; à magnis, etiam *Herculi* invincibilibus

morbis

morbis liberet, aperte declarans. Sed quia in quartana facile multi crudi ac ſeroſi tenueſq; humores in corpore colliguntur, naturali facultate ventriculi, hepatis & lienis morbi contumacia & diuturnitate enervata, unde malor' Ilias emergit, *Phavorino* in omnibus aſſentiri nequeo. Senibus utplurimum exitialis eſt hæc febris, juniores minus periclitantur, niſi natura ſua ſint ad phthiſin propenſi aut aliquo viſcerum graviori morbo affecti. Qua methodo in propulſanda hac febri hactenus ſis uſus, neſcio: Clementer ſaltem in principio tractandam eſſe ſcias, ne exquiſitiore evacuatione intempeſtive inſtituta exaſperetur. Concocta medicanda eſſe, ſtatuit Venerandus è Coo Senex, non cruda. Cum vero hic morbus ſit diuturnus ob concoctionis tarditatem, nihil aliud eſt intempeſtive in hoc affectu purgare, quam ventriculi vires imminuere, humores turbare, ex craſſis craſſiores, ex longo affectu longiorem efficere. Cum itaq; febris hæc ex aduſtis humoribus ut ſupra indicavi natales ortus derivet, à nimium calefacientibus abſtinendum duco, ſed potius humectantibus & moderate refrigerantibus utendum judico, vel ſaltem minus calefacientibus ſeu temperatis. Ac primo quidem velim ut pridie acceſſionis jejuno ventriculo aſſumas ℥ij. Syrupi de Pomis purgantis, adjecta Diaphœnici drachma & Cremoris Tartari ſcrupulo ex hauſtu ſeri lactis Cereviſia ſegregati ad primarum viarum evacuationem. Hinc humorum præparationi inſudandum, quod

quod ventriculo tuo delicatiore exiſtente commode feceris juſculo pulli alterati radicibus Polypodii, Aperientibus, Bugloſſi, Scorzoneræ; Herbis Boraginis, Bugloſſi, Ceterach, Capilli Veneris, Chamædryos, & Fumariæ; Floribus Violarum, Bugloſſi; necnon incoctis Seminibus quatuor frigidis majoribus, cujus hauſtum aſſumes omni mane, diſſolvendo in eo ℈j. aut ʒſs. Cremoris Tartari, & ſuperjejunando horas duas. Idem juſculum dilues peridie invaſionis febrilis quatuor aut quinq; Cochlearibus Ptiſanæ laxativæ cum Sena & Sale Tartari in aqua Boraginis frigida infuſis paratæ. Hæc materiæ morbificæ præparatio & evacuatio per intervalla repetenda, ſi rebus tuis conſultum volueris: Interim tam ad alterationem, quam partium corroborationem non ſine commodo tuo duabus ante cœnam horis capere poteris juglandis quantitatem de ſequenti Electuario. ℞ Conſerv. Bugloſſi, Boraginis, Violar. ana ʒſs. Radic. Cichor. condit. Scorzon. cond. ana ʒvj. Cort. Citr. cond. ʒiij. Confect. Alkermes ʒj. Spec. Diarrhod. Abb. ℈ij. Syrupi Pomarum q. ſ. Miſce, fiat Electuarium. Morbo jam diu protracto de vena aperienda ſileo, interim Hæmorrhoidum Tibi apertionem ſuaſerim poſt primum juſculum, præſertim cum Tibi antehac, ut refers, fluere conſueverint. Ubi vero materia cocta fuerit, repetere poteris evacuationem per Syrupum de Pomis purgantem vel etiam fortius aliquod medicamentum, ſi vires permiſerint. Corpore

ex

ex artis lege præparato & debite purgato iis uti poteris quæ reliquias materiæ morbificæ diſcutiant & frigoris incrementum inhibeant atq; paroxyſmum imminuant vel etiam prorſus tollunt. Horum plura apud Practicos inveniuntur. Ego multis quartanariis propinavi Myrrhum ex vino albo hora una atq; altera ante paroxyſmum magno ſucceſſu. Hæc enim calida ſicca tenuat & putredini valde reſiſtit. Proderit etiam aſſumere C. Cerv. præparat. & Antimonii Diaphoretici fixi, ana ℈ß: ex Spiritu Cardui Benedicti propinanda, vel cum extracto Gentianæ & Imperatoriæ pilulari forma exhibenda. Quoad topica carpis applicanda, lippis & tonſoribus ſunt nota, & vix reperias mulierculam quæ non habeat ſibi peculiare aliquod metacarpium. Cantharides telæ aranearum involutæ & quartanariis ſuſpenſæ non paucos perfecte liberarunt. Sed manum de tabula. His ſpero obſervatis priſtinam recuperabis ſanitatem, quod Deus largiatur, cui Te tuaq; committo & commendo. Vale, V. R. & me in pectore ſerva.

CONCIL.

CONCIL. XLV.

In puellula ad Epilepſiam prona ad reverendum patrem ejus.

DE nata Tibi felici *Junone Lucina* dulci filiola dexter mihi ſalit oculus. Eam Tibi cum matre lectiſſima ſalvam eſſe velit Deus optʼ maxʼ vitæ neciſq; poteſtatem ſibi ſoli vindicans. Male ſaltem me habet, quod metuis, ne Epilepſia, magno illo & ſacro rei ſacræ, id eſt, capitis morbo, infantulis familiari, corripiatur, cujus ſe jam indicia quædam prodere ſiniſtro *Mercurio* percepi: Formidabile hoc eſt malum, & plurimis exitiale. Et certe qui hunc morbum Herculeum profligare novit, huic merito, ut olim *Hippocrati* ob depulſam ex *Illyria* peſtem, divini honores decernendi ſunt. Quantum ex literis tuis colligere poſſum non videtur morbus hic per ſympathiam ventriculi aut aliarum partium inferiorum, ſed per primarium cerebri affectum contingere, ob humores pravos & acres, Epilepticam diſpoſionem habentes, in cerebro genitos, & membr. nas ejus peculiariter infeſtantes. Raro evadunt infantes recens nati, videamus tamen, ſi forſan annuente *Apolline* filiolam tuam præſervare poſſimus. Velim ut de bonæ famæ & boni corporis habitus nutrice filiolæ tuæ proſpicias, cum ei lactandæ conjux tua ſit inepta, im-

imprimis vero ab omnibus animi affectibus libera ſit, nec vino aut forti potui, ut ſolent mulierculæ in veſtris oris indulgeat. Suaſerim præterea ſine mora applicari Fonticulum inter primam & ſecundam colli vertebram, cum ubi promptum requiritur auxilium, in proximo parti affectæ loco facienda ſit apertio. Magnum inde expectandum commodum. Poterit tamen idem brachio affigi, ſi illud non arriſerit, ſed longe minori cum ſucceſſu, quod in praxi mea ſæpe ſum expertus. Interim cura ut alvus indies officio ſuo fungatur, quæ ſi ſegnior fuerit irritetur caule Malvæ butyro illito in anum immiſſo; aut enemate ex juſculo aliquo, adjecto Saccharo; aut ℞ Ol. Amygdalar. dulc. & butyri inſulſi ana, ſubigantur cum Saccharo in formam Eclegmatis, de quo detur infanti. Infantuli qui dura ſunt alvo, præ cæteris huic huic malo graviſſimo ſunt obnoxii; & tutius eſt ſemper in juvenibus, *Hippocratis* Oraculo, alvum laxiorem eſſe, quam ſuppreſſam. Interne vero, circa ſingulas *Lunæ* mutationes, exhibeatur ſcrupulus dimidius vel plus etiam pulveris ſequentis. ℞ Verbenæ totius ſole per arietem ſpaciante collectæ & ſiccatæ, granorum Pœoniæ, ana. Trita miſce & fiat pulvis ſubtiliſſimus, quem pluribus non ſine ſucceſſu propinavi ex aqua florum Tiliæ, quæ cæteris præſtat. Ab aquis cum vino deſtillatis in tenella ætate abſtinendum duxi, quas obeſſe potius, quam prodeſſe ſemper deprehendi. Intermedio tempore cum pulte exhibeatur indies aliquid Tabularum

bularum Epilepticarum Langii, quas ad præſervationem efficaces in puerulis Epilepticis inveni. Interim oleum Succini naribus illinatur, plantis pedum applicetur radix Pœoniæ contuſa, eadem de collo ſuſpendatur, armillæ quoq; & torques ex granis Pœoniæ ſive ſeminibus perforatis carpis circumligentur. Nutrix bonam victus legem obſervet, & ſi forſan ex victus errore aliquid vitioſi humoris in corpore ejus cumulatum fuerit, id levi aliquo medicamento evacuetur. Sed hæc ſatis. Faxit Deus opt' max' ut hæc præcepta filiolæ tuæ ſint ſalutaria, à quo ſolo tum corporis, tum animæ ſalus expectanda.

Concil. XLVI.

In affectu Aſthmatico ad juvenem quendam ſtudioſum.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ, amice multis mihi nominibus amandiſſime, hoc ipſo tamen gratiores, quod Te ſuperata multorum capitum Hydra longe ſæviſſima & mordicus hærente jam tandem reſpirare & valetudini tuæ afflictiſſimæ ſereniorem affulgere auram, dextro mihi *Mercurio* annunciarunt. Id quod Tibi perpetuum eſſe velit Archiater opt' max' qui ſolus curat omnes infirmitates noſtras & de interitu vitam redimere omnium optime novit. Maximi ſane in Medicina momenti eſt, ſimilia

ſimilia à diſſimilibus ſecernere, ut explorata & penitus cognita morborum, vel peritiſſimis Medicis ſub fallaci idæa illudentium, natura & vero ſchemate, remedia affectui debita ab artis peritis aſſignentur. Quo fit; ut non poſſim non ſummopere Tibi congratulari, qui in arduo & multis ſymptomatum cauſarumq; texturis pene inextricabili caſu, Medicum tum doctum & in artis operibus peritum, tum acutiſſimum & lynceum nactus ſis, cujus inſigni ſolertia & conjuncta cum labore pertinaci aſſiduitate optatum valetudinis portum bonis avibus attigiſti. Grave & horrendum ſane eſt monſtrum, quod indies ſub ſomni horam ſtrangulationis metu vitæ tuæ ſat longo tempore inſidias ſtruxit, cujus triſtiſſimam hiſtoriam, propria proh dolor! experientia edoctus, graphice admodum omnibus ſuis lineamentis depictum, mihi tranſmiſiſti, annexa ſimul methodo, qua in propulſando tanto hoſte, reluctante aliquandiu, ſed non infauſto tandem *Apolline*, uſus es. Corporis indiſpoſitio infeſtumq; tædium; vigiliæ; jectigiatio; cordis palpitatio; artuum tremor; tuſſis ſicca & inanis; anhelitus difficultas cum ſono quodam; vertigo; ptyeliſmus, cæterorumq; malorum quæ recenſes, caterva, omnia ſunt, niſi meum me fallit judicium, genuina Aſthmatis ſoboles, quod proxime ab anguſtia viarum pulmonum ortus ſui primordia derivat. Annumeratur ſymptoma hoc graviſſimum eorum affectuum cenſui, qui hæreditario quodam jure in poſteros propagantur, è

ſemine

ſemine genitali pronatorum, quod ſimilem inferant in fœtu morboſam qualitatem, quam ipſum à parentibus emiſſum præ ſe tulerit. Nihil tale in utroq; parente tuo, intima mihi, ut noſti, familiaritate junctis, obſervare unquam potui. Quæ ſit ordinaria victus tui ratio ex quo hinc diſceſſiſti, me quidem latet, quæ ſi minus proba fuerit, poterit eſſe ſatis Aſthmati in ſubjecto diſpoſito ocyus generando. Video tamen ex nocturnis lucubrationibus, quibus Te indulgere audio; ex mœrore ſummo, reverendi Patris tui, piæ memoriæ, obitu concepto, nec non pluvioſa anni conſtitutione & aëris, in quo degis, nimia humiditate, parum Tibi acceſſiſſe commodi. His ſiquidem Caput labefactatur, ventriculi coctio pervertitur, cruditates accumulantur, catarrhi excitantur, & ſexcenta alia producuntur mala. Sed quænam tanti mali cauſa, unde impetus iſte in pulmonum vaſa? Tu caput accuſas & rem omnem in unicam ab eodem defluxionem referre videris. Habet quidem caput hominis ſublime & amplum in ſe cerebrum, & propterea præ aliis animantibus catarrhis maxime obnoxium exiſtit. Cerebri enim medulla copioſa copioſum requirit alimentum. Ubi vero plurimum alimenti, ibi quoq; ex neceſſitate plurimum excrementi, præſertim ſi cerebrum natura debile aut aliis de cauſis ſit frigidum & humidum nimis, ideoq; ſatis digerere nequit illa excrementa, quæ neglecta indies augentur, donec tandem nimium excreſcant & magna copia cumulata aut per

cauſas moventes excitantur aut ſponte ſua & præ copia in ſubjectas parter præcipitantur. Etſi vero cerebrum in tuo caſu omni vacare culpa non dixerim, ſed tamen tanquam primariam cauſam accuſare non auſim. Rerum Natura parens formavit Tibi calidam in toto viſcerum naturalium, hepatis maxime, à parentum fervido temperamento impreſſam intemperiem, unde prompte in venis & arteriis ſeroſa colluvies colligitur, dum à prima concoctione debiliori cito nimis aquoſitas aſſumptorum trahitur, & vi caloris attenuata toti communicatur. Id præter morbos, quos antehac ſuſtinuiſti venarum tuarum amplitudo manifeſte evincit. Hinc omnis fundi calamitas. Nam ſeroſi hujuſmodi humores in venoſo genere accumulati, niſi ultro à Natura ſibi conſequente per vias in id deſtinatas excernantur aut medica manu tempeſtive everrantur à cauſis externis commoti, in varias partes, qua data porta protrudi & variorum morborum autores evadere perquam apti nati ſunt. Quidni ſtatuamus in hoc affectu, qui Te longo tempore miſere excarnificavit, ſerum ob dictas cauſas in venis accumulatum, cum per anadromen è vaſis magnis per venam arterioſam, tum κατ' εξοχην è ſacra Palladis arce in pulmones eorumq; vaſa magna vi irruere & deſpumare. Annon cordis, quod ſerum neceſſario tranſit, palpitatio; os ſaliva plurima paroxyſmi tempore madidum; vertigo ab animalium ſpirituam tumultuaria motu ob effervescentem in capite ſeroſam colluviem & aliqua

qua parte in ſinus ejus repentem; artuum tremor ad nervoſarum partium ſero irrigatarum vellicationem; an non malum confertim torrentis inſtar irruens & ſudore oborto Tragœdiam finiens; an non hæc & alia plura manifeſto ſunt inditio, ſeroſum eſſe humorem, qui pulmones eorumq; meatus coarctat, & tantam anguſtiam producit? Atq; hæc eſt idæa morbi quo laborâſti, de cujus curatione non eſt ut quicquam addam, cum jam feliciter Medici tui ſolertia & Dei benedictione ſis ab eo vindicatus. Quod præſervationem attinet, de qua mones, de ea non eſt neceſſe ut multa dicam, cum iiſdem præſidiis quibus curatio, comparari queat. Ratum ſiquidem eſt apud omnes, quod quæ præſenti affectui mederi poſſunt, ea imminentem quoq; amoliri & avertere poſſe. Hoc ſaltem moneo ut diligens ſis in obſervanda proba victus lege, quæ plurimum poteſt ad ſanitatem ægrotis, ſanis vero ad ſecuritatem conciliandam. Victus itaq; ſit parcus iſq; tenuis, è ſolidis & ſiccis, non ſorbitiunculis juſculis & ſimilibus liquidis conſtans. Cibus ſit boni ſucci & concoctu facilis, aſſus potius, quam elixus. Potus ſit parciſſimus, iſq; Scabioſa, Tuſſilagine, & aliis pectoralibus medicatus. Sitis fallenda Prunis, Liquiritia, & ſimilibus in ore Maſticatis. Proſunt Uvæ paſſæ & Ficus, alii fructus omnes noxii. Vitanda ſatietas & ciborum in una menſa varietas. Alvus indies ſit aperta. Vere & Autumno inſtituatur lenis ſeroſæ in toto & capite præſertim colluviei evacuatio. Medici

tui consilio. Etsi enim materia quæ forsan in pulmonibus & thorace continetur, vix per alvum evacuari queat, dum tamen materiam ex universo corpore purgantia evacuant, eadem à pulmone revellunt. Sed tamen cum in Te materia Asthmatica ab hepate & venis magna parte ad pulmones affluat, commodissime per purgantia tollitur. His adjunge decoctum Ligni sancti addendo pulmoniaca, ut sudore serum exhauriatur. Hoc decoctum etsi ad curam, dum paroxysmus urget, inutile sit, imo noxium, attamen ad prophylaxin magnam utilitatem afferre certo certius est. Sed jam tempus est, ut vela contraham. Tu hæc qualiacunq; æqui boni consule & me amare perge.

Concil. XLVII.

In pollutione nocturna, qua Pilularum adstringentium usu alvus commota, ad virum Reverendum.

COnstitueram ad Te scribere proximo die *Saturni* per Tabellarium ordinarium, R. V. sed oblata commodum non expectanti opportunitate, non potui, quin gratissimis tuis literis responderem. Mirari satis nequeo operationem Pilularum adstringentium à me Tibi præscriptarum & mane Jejuno ventriculo devorandarum, quas refers alvum indies vel sexies etiam commovisse, & tantum abesse, ut pollutio

lutio nocturna, ut ſperabas, fuerit cohibita, ut etiam aucta videatur. Mira eſt Natura, quæ ſæpius ſibi diſſimilis contraria, operatur & ludos in operibus ſuis facit. Similem fere hiſtoriam annotavit *Galenus*, naturalium arcanorum acerrimus indigator, in *Prota* Rhetore, ventrem poſt eſum pomorum & pyrorum auſterorum dejiciente, libr. 2. de alimentis cap. 22. ubi & cauſas hujus accidentis proponit. Scio probe, quod adſtringentia in prima menſa comeſta alvum cohibeant, ne cibi humidiores citius deſcendant, ſi vero poſt cæteros cibos aſſumantur, ventrem laxent. Tu vero devorâſti, Pilulas adſtringentes vacuo ventriculo, nihil ante neq; poſt eas per bihorium aſſumendo. Ut ut ſit velim ut ſepoſitis Pilulis adſtringentibus antehac ordinatis, jam ſaltem ſequenti Electuario utaris. ℞ Seminis Lactucæ, Portulacæ, Plantaginis, Agni Caſti, ana ʒj. Carabes, Maſtiches, ana ʒſs. Corallorum rubror. Eboris, ana ℈ij. Gummi Tragacanth. Terebinthinæ pulveriſat. & Menthæ ſiccæ, ana ℈j. Boli Armeni veri ℈ſs. Conſervæ Nympheæ, florum Archangelicæ, Symphyti, Roſar. rubr. ana ʒvj. Syrupi Nympheæ & de Roſis ſiccis, ana q. ſ. Miſce, fiat Electuarium devorandum mane & ſero juglandis quantitate. Sic ſpero annuente Numine commode obviam ibis pollutioni nocturnæ, quæ Tibi moleſta eſt, præparato ad id antehac corpore, obſervata interim debita victus ratione, ſine qua irrita erunt alia omnia. Ejus minutias repetere non vacat, de quibus coram Te admonui.

monui. Plura de his nocturnis ludibriis, quæ à calore potius vigente, quam emortuo Veneris incitamento proficiſcuntur, adjicere ſupersedeo. Nec refert quam multa, ſed quam bona præſcribantur. Tu his fruere in commodum tuum uberrimum & me amare perge, qui Tibi omnia opto & auguror felicia. Vale.

CONCIL. XLVIII.

In Cachexia hydropica ad Anſarcam vergente, pro matrona quadam, ad Medicum ejus.

NOn hoc mihi ſumo, V. C. ut de nobiliſſ. Matronæ morbo ejuſq; cauſis judicare me rectius poſſe putem, quam Tu ipſe, qui hactenus curationi interfuiſti. Quoniam vero hoc à me requiris in literis tuis, morem Tibi gerere volui. Succumbit nobiliſſ. Matrona Cachexiæ hydropicæ, ni fallor, ad Anſarcam proxime vergenti, non ſine levi Scorbuti ſublatentis, qui corpora noſtra ſub omnium malorum larva clanculum aggredi ſolet, ſuſpitione. Quænam fuerint à parentibus derivata generationis primordia, me quidem latet. Nec quicquam mihi conſtat de victus norma & vitæ genere, quo ab ineunte ætate uſa eſt, quæ ſi minus proba fuerit, pro fœminarum more, luxui ut plurimum indulgentium, huic multorum capitum hydræ generandæ potuit eſſe ſatis. His accedit im-

prægna

prægnatio, cujus tempore plurima ex ſuppreſſis menſibus & diætæ erroribus in corpore accumulantur excrementa. Video tamen Naturam, induſtrium alioquin humani corporis opificum, effinxiſſe huic generoſæ Matronæ infirmam corporis conſtitutionem ab ipſo ortu, nec dum vel peritiſſimorum Medicorum opera & ſedulitate ad meliorem ſtatum reductam, ſed & graviditatis tempore in pejus lapſam. Familiaris eſt affectus hic utero gerentibus, maxime vero iis, quæ ante ingravidationem in eum viſcerum vitio ruere proclives fuere, præcipue ſi fœtus alimentum non ſatis attraxerit. Cujus exemplum proponit venerandus noſter è Coo Senex in *Harpalidæ* ſorore, cui quatuor vel quinq; menſium ſpatio uterum geſtanti pedum tumores exorti ſunt œdematoſi, oculi in orbem intumeſcebant totumq; corpus velut pituita alba ſuffuſum in tumorem elevabatur, acceſſit tuſſis ſicca & orthopnœa; interdum quoq; ſpiritus ſuffocatio, adeo quidem, ut perpetuo in lecto erecto corpore ſedere neq; decumbere ullo modo poſſet, ſed ſi qua ſomni capiendi urgeret neceſſitas eum deſidendo capere cogebatur. Dic ſodes, an non generoſa noſtra hujus fœminæ ipſiſſima eſt imago? Certe non eſt ovum ovo ſimilius. Laborat illa magna viſcerum nutritioni dedicatorum, hæpatis maxime, diſcraſia & imbecillitate, tum natura ſua, tum & victus erroribus acquiſita & aucta, quorum merito ſanguis generatur pituitoſus, crudus & ſeroſus, qui in corporis par-

tes evectus, illicq; concrescens vitiatam substantiam pro utili apponit & assimilari nequit. Hinc corporis moles intumescens præter naturam augetur, corpusq; non ut antea promptum & alacre, sed grave & iners; non robustum viribusq; pollens, sed effœtum, dissolutum ac quasi enervatum; non firmum & compactum, sed molle & laxum; non vivido colore florescens, sed subalbido & pallido squalidum appareat, sanguine phlegmatico & seroso cutis substantiæ imbibito nec rite digesto, plurimis quoq; excrementis in ipsis carnosis partibus luxuriantibus. Pedes tumor œdematosus infestat, qualis ex abundantia sanguinis pituitosi oriri solet. Sed & pectoris angustia plurimum urget, non quod pectus aut pulmo, quæ tua est opinio, particulari hydrope afficiatur, sed ob Diaphragmatis compressionem, nec non pituitam viscidam in bronchiis pulmonum collectam: Non invitias iverim humores seroſos, circa hepar in venoso genere collectos, per venam arteriosam in pulmones effundi, unde respirationis necessitas augetur, compressis pulmonum bronchiis, quod malum insuper à vaporibus ab utero in puerperio in partes spiritales elatis non parum ingravescit. Ex his de aliis symptomatibus, si quæ restant, facile est judicium. Et hæc sufficiant quoad affectus Idæam proposuisse, qui generosam Dominam in tantum discrimen & vitæ periculum præcipitavit, cui debellando ne *Hercules* quidem suffecerit. Hactenus sapienter & magno judicio

hostem

hoſtem hunc infenſiſſimum oppugnaſti & juxta abs Te deſumptas Indicationes remedia à Te aſſignata non improbo. Miror ſaltem omnes evacuationes hactenus omiſſas fuiſſe. Si meo conſilio locus purgarem ægram pulvere Mechoacannæ cum correctivis, quem tuto exhibere poteris, etiam utero habenti. Hæc radix, ut noſti, vim habet mirificam hepar aperiendi & roborandi atq; ab Hydrope præſervandi, colorem etiam lividum faciei, ab intemperie & obſtructione hepatis oriundo, emendandi. Poteris pulverem ejus adjecto Sacchari tantillo ex aqua Abſinthii, Vino albo diluta propinare. Vidi matronam aliam hac radice in ſimili caſu curatam. Huic adjunge decoctum Palmæ ſanctæ adjecta ligni Saſſafras portione, quod in corroborando ſtomacho, aperiendo hepate & præſervatione ab Hydrope maximæ eſt efficatiæ. Quodſi brodio potius delectetur, laudarim juſculum Gallinæ China, Santalis, ligno Saſſafras, Mentha, Bugloſſo, Scolopendria, Nuce moſchata, & ſimilibus medicatum. A paſtu vero utatur pulvere ſequenti. ℞ Semin. Aniſi ʒij. Sem. Coriandr. Fœnicul. dulc. ana ʒj. Corall. rub. præp. ʒij. Cinamom. ʒj. Cinerum pellicul. ventriculi Gallinæ lotor. in aq: Roſar. ʒj. Sacchari roſat. Tabul. ʒiiij. Miſce, fiat Pulvis, cujus doſis Cochlear. j. Hora ſomni devoret quantitatem juglandis Electuarii quod ℞ Conſerv. Roſar. rubr. Vitriolat. & flor. Cichor. ana ʒj. Spec. Aromat: Roſ. & Diarrhod. Abbat. ana ʒſs. Syr. de Menth. & Corallor.

ana

ana q. ſ. Miſce, fiat Electuar. Tandem obſervet bonam victus legem, utatur cibis boni ſucci, facilis concoctionis, abſtinendo à frigidis craſſis & lentis atq; aquoſis, quorum minutias Tu, qui præſens, facile præſcripſeris. A partu de aliis erit cogitandum. Deus opt' max' hæc paucula ad nobiliſſimæ Matronæ recuperationem efficacia eſſe velit. Tu me, ut facis, ama. Vale.

Concil. XLIX.

In fluxu hepatico, & Gonorrhea, ad Virum quendam reverendum.

PRincipum partium morbos, V. R. vel omnino exitiales eſſe, vel ſaltem magnos & curatu difficilimos, id in Medicina ratum & *Galeni* ſuffragio ſtabilitum eſt. Magnos autem fieri vel ob affictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel ob κακοήθειαν & malum morem, recte aſſeritur. Optime itaq; affectus, qui Te ſat longo tempore aſſlixit, utroq; nomine magni nomen meretur. Siquidem Hepar, princeps pars totiq; corpori maxime neceſſaria in Te afficitur. Eſt enim naturalis in corpore facultatis principium & ſanguinis juxta Veteres officina. Et affectus ipſe magnus eſt, nempe debilitas nobile hoc viſcus obſidens, ac ſymptomata eidem conjuncta ipſius κακοήθειαν abunde demonſtrant. Hinc, de quibus conquereris, ſeroſorum & ſanguineorum, loturæ

loturæ carnis animalis recens mactati haud diſſimilium humorum, citra dolorem aut inteſtinorum morſum excretio. Hinc icterus, quo laboraſti, hepatis vitio pronatus, & Gonorrhœa à ſemine acri ob ſimilis ſanguinis naturam oborta. Graviſſima hæc ſunt & diverſatum partium atq; facultatum læſarum ſymptomata, ſed quæ ab uno eodemq; fonte ortus ſui primordia ducunt. Natura, rerum parens, Hepar Tibi juſto fervidius efformavit. Patet hoc ex citrino faciei tuæ colore, venarum amplitudine totiuſq; corporis habitu. Idem immoderatis & in orbem redeuntibus vocationis tuæ exercitiis & laboribus calidius redditum, abſumit calidum ejus & humidum innatum, ſpirituſq; inſitos, unde tanta hepatis imbecillitas & atonia introducitur, ut chyloſam materiam à ventriculo exceptam loco boni & laudabilis ſanguinis in tenuem & ſeroſum humorem, loturæ carnis ſimillimum convertat. Hic cum alendis partibus non ſit idoneus, utpote imperfecte elaboratus, quem cum hepar imbecillius retinere ſibi nequeat, à Natura viribus ſuis utente & quæ noxia ſunt expellente, per venas meſaraicas ad inteſtina detruditur, unde dejectiones ejuſmodi ſimiles aquæ redduntur, in qua nuper mactatæ carnes animalium ablutæ, ſunt, idq; ſine dolore, tali ſcilicet, qui Dyſentericis alias accidere ſolet ob inteſtina præter naturam affecta, etſi in Te obſervetur gravativus aliquis dolor ab hepatis imbecillitate proficiſcens. Hinc fluxus hic vulgo dicitur hepaticus

ticus & *Galeno*, improprie quidem, Dyſenteriæ hepatica nuncupatur, cujus cauſa in Te quidem in nimiis exercitiis quærenda. Ut enim moderatis corporis exercitiis ſoliditas quædam membris ex mutua contritione conciliatur, unde externis injuriis facilius reſiſtitunt; Calor quoq; nativus fovetur, quo felicior perficitur nutritio; Et ſpiritus moventur, quorum poſtea motu vapores & excrementa diſcutiuntur, & per deſtinatos meatus expurgantur: Ita immoderatis & intempeſtivis exercitiis Spiritus enervantur, calidum innatum imminuitur, calor in partibus extraneis excitatur, carnes abſumuntur, nervi debilitantur, & corpus ſolito citius ſeneſcit, & alia complura mala corpori contingunt. Improbo etiam concionandi labore, quo renes incaleſcere ſolent, meo quidem judicio, orta eſt Gonorrhea. Dorſum enim & lumbi, quibus annexi ſunt interius renes, maxime in concionandi actione & geſtibus, dum ſtantes concionatores, fervore quodam ducti orationem habent, non parum laborant, unde excalefacti ſunt & laxiores redditi ſemen retinere nequeunt læſa facultate retentrice, & irritata expultrice à ſeminis caliditate & acrimonia. Periculoſum eſt hoc malum & curatu difficile, ſive partem affectam conſideres, quæ inter principes numeratur & alibilis facultatis fundamentum exiſtit, ſive diſpoſitionem morbificam reſpicias, quæ poſita in exhauſtu humoris primigenii, cujus reſtauratio parum eſt ſperabilis, & negligentia patientis facillime cachexiam,

am, hydropem, totiuſq; conſumptionem producere poteſt. Quia tamen ægroti ex maximis ſæpe morbis præter Medicorum opinionem liberantur, cum affectus hic non ſit admodum inveteratus, videamus an, favente Numine, ab eo liberari poſſis. Ac primo quidem ad Jecoris intemperiem corrigendam non ſine commodo uti poteris Electuatio ſequenti. ℞ Conſerv. radic. Cichorii ℥j. Pulp. paſſul. min. ℥vj. Conſerv. Roſar. veter. Vitriolat. & Abſinth. ana ℥ß. Chalybis præparat. ℈iiij. Spec. Roſatæ novell. & Diatrion Sant. ana ℥ß. Corallor. rubr. præparat. Cornu Cervi uſt. præp. raſur. Ebor. ana ℈ij. Syr. granat. acid. q. ſ. Miſce fiat Elect. quo frequenter uti Te velim vacuo ventriculo tribus horis ante cibum; ut hepar non tantum corrigatur ſed & robur ejus diſſolutum reparetur, ſi fieri poſſit, quod purgantibus labefactatur, ut ab iis abſtinere Te velim, præſertim morbo jam progreſſo. Poteris tamen majoris corroborationis gratia atq; ad aperiendas venarum Meſaraicarum obſtructiones ad Rhabarbari uſum accedere, quod membra omnia, imprimis vero Jecur corroborat, unde & anima ejus nominatur, eſtq; omnis venenoſæ qualitatis expers, & frenum quo cæteræ medicinæ deſtituuntur, adſtringentem ſcil. ſui partem, aromaticamq; facultatem abunde poſſidet. Multis practicis placet exhibere id torrefactum, ut magis adſtringat, quod tamen empyreuma redolet. Suaſerim ego, ut ℞ Paſſul. minor. acidiuſ. & bene lotarum primo a-

qua,

qua, deinde vino ℔j. Rhabarbar. el. pulveriſ. ʒſs. Sacchari optimi ʒiiij. incorporentur omnia ultimo addantur, Caryophil. ʒij. Servetur in vaſe bene clauſo, de quo capias bis in ſeptimana ʒj. vel ii ante prandium. Conducit etiam Electuarium ξυφοειδὲς *Galeni*, quod Paſſulæ ingrediuntur, & dicitur medicamentum de Paſſulis. Optime enim nutriunt paſſulæ, facile concoquuntur & tonum roburq; ventriculo & hepati addunt, ut vel ſolæ, *Galeni* teſtimonio, fluxum hepaticum ſolvere queant. Sub lecti porro introitum utiles erunt Tabulæ in hunc modum præparatæ. ℞ Specierum Diatrion Sant, ʒij. Diamarg. frigid. & Diarrhod. Abb. ana ℈ij. Conſerv. Cichor. & Nymph. ana ʒjſs. Sacch. albiſſ. in aq. Cich. ſolut. ʒiiij. Miſce, Fiant ex artis lege Teſſellæ, quarum unam vel alteram pro vice aſſumes. Extra vero Ceratum Santalin. cum Unguento Roſaceo, addendo Spicæ tantillo, hepatis regioni affricandum curabis. Tandem quoad Diætam, ejus maxima Tibi cura habenda, cujus improba ratione & vitio plerumq; affectus hic exoriri ſolet. Vitabis igitur omnes aëris inclementias & quantum fieri poteſt puro ſtudebis. Cibi vero ſint εὐχυμοι καὶ εὐπεπτοι, fugiendi cacochymi & δύσπεπτοι. Ventriculo enim & hepate laborantibus facilitanda eſt concoctio, & curandum, ut cibus facile alteretur & diſtribuatur, probi humores gignantur, & ſubſtantia primigenia, ſi fieri poſſit, reſtauretur. Proſunt Juſcula, Gelatinæ, Hordeacea, Amigdalata, Ova recentia

&

& tremula plurimum nutrientia. E fructibus Pyra, ſed non cruda, Cydonia cocta, Sacchari tantillo aſperſa, imprimis vero paſſulæ, tota ſubſtantia hepati familiares. Fugienda omnia ſale & pipere ac zingibere affluentia, frixa quoq; & lacrumina, nec non pinguia & oleoſa inflamationi obnoxia. Cinamomi tamen & nucis Myriſticæ uſus moderatus conceditur, concoctionem enim promovent, id quod in hoc affectu magni eſt momenti. Vino tortivo, aqua chalybeata diluto, ſi ſit opus, vires recreentur. Potus ordinarius ſit Cereviſia mediocris, bene deſœcata, Cichorio, Agrimonia, & Abſinthio medicata. Averſanda ciborum varietas & ſatietas, imprimis vero crapula angue pejus abhorrenda. Exercitia ſint admodum moderata, minime laborioſa, & præſtat omnino tum corpus, tum animum tranquillitati tradere; cavenda itaq; animi pathemata quæ humores commovent & vires reſolvunt. In ſomno & vigiliis moderatio ſervanda, præferendus tamen ſomnus, quia internas coctiones juvat & vacuationes liſtit. Sed hæc Tibi ſufficiant, quæ ut Tibi à Deo ſalutaria contingant oro rogoq;. Vale.

Concil. L.

In capitis gravitate, Aurium abſceſſu, Tuſſi & Anhelitus difficultates & aliis malis, pro Viro quodam reverendo.

COnquereris proh dolor! R. V. de Capitis gravitate, cum aurium Abſceſſu, jam inde ab incunabulis affligente, cui Tuſſis & magna Anhelitus difficultas, matutino maxime & veſpertino tempore moleſta accedit, cum rejectione plurimæ materiæ pituitoſæ, craſſæ & viſcidæ, nec non ſiti, quam hepatis caliditati aſſignas, Ventriculi apepſia & Ani pruritu. Hæc fere ſunt ſymptomata mihi relata, quæ varias in corpore partes affectas eſſe oſtendunt, quarum diſcraſia tantæ excitantur turbæ & tempeſtates. Cerebrum natura frigidum & imbecille obtinuiſſe videris, quod magno pituitoſorum excrementorum proventu obrutum perpetuo materiam catarrho ſubminiſtrat, in pulmones ad perpendiculum depluo. Sed & eorum portio intus permanens aurium abſceſſum & Capitis gravitatem accerſit, omneſq; facultates & functiones ignaviores reddit. Fovetur idem malum ab Hepatis, imo etiam Lienis caliditate, tranſmiſſa à venis calidorum vaporum copia. Inde nil mirum, Cerebro exiſtente frigido, quin multæ & continuæ fluxiones concitentur

tentur vel *Galeno* ipso judice, qui catarrhos & similes capitis affectiones ad Hepatis caliditatem refert. Tuum vero calidum esse evincit tum sitis, quæ tamen debilem quoq; ventriculi calorem & tardam coctionem indicat, tum & ani pruritus. Atq; defluxiones ejusmodi, cum in Pulmones decumbunt, Tussim excitant, imo si diutius ibi hæreant & eos obstruant, spirandi difficultatem producunt, maxime vero, si pulmonum facultà motrix insuper etiam lædatur, vel in operatione sua impediatur, dum spatium, in quo libere moveatur, non habet, quod in Te fit ob gibbositatem tuam qua Thorax diminutus, aut saltem non auctus debite, Pulmones vero cum corde in majorem molem accreti in causa sunt, ut respirationis instrumenta premantur, unde spiritus difficultas necessario sequitur. Tandem quod Apepsiam attinet, ea ab eodem catarrho oriri videtur, serositatibus ad ventriculum decumbentibus, quæ concoctionem impediunt; tum etiam humectatis nervis stomachicis, segniter postea animalem famem urgentibus. Hæc morbi tui Idæa. Etsi vero difficile sit tantis malis succurrere, & ædes undiq; ruinam minantes sustentare: Attamen ut quantum licet, opem & auxilium feram his Tibi intentionibus insistendum puto, ut primo viscerum naturalium intemperies corrigatur; deinde ut materia ad caput ruens revellatur, postea etiam materia destillationum in capite genita & collecta resolvatur, derivetur & evacuetur; tandem ut

affectæ partes roborentur. Totus iſte decurſus non eſt hujus tempeſtatis, in qua efficacius purgare & purgationes etiam repetere, ſanguinem mittere, & alia adminiſtrare, vix ac ne vix quidem licet. Itaq, quantum fieri poteſt contraham. Ac primo quidem velim ut alvum moveas drachma una Mechoacannæ, adjecto ſcrupulo Cremoris Tartari, & Diagridii granis tribus, in pulverem redactis, aſumendum jejeuno ventriculo cum trium aut quatuor horarum jejunio, ſuperbibendo poſtea hauſtum ſeri lactis cereviſia ſegregati, abſterſionis gratia, non quod materiam in pulmone contentam eo evacuari credam, ſed ut humores ex univerſo corpore evacuentur, & ſic à pulmonibus & capite revellantur. Hac vel ſimili evacuatione præmiſſa, Hæmorrhoides, quæ antehac fluere ſolebant, aperiantur, affixis ano hirudinibus, detrahendo ſanguinis uncias quinq; vel ſex, habito virium reſpectu, ut hoc medio ſanguis aduſtus, à Natura ſibi conſulente ad venas has detruſus, non tantum minuatur & evacuetur, ſed & hepar cum Liene amica refrigeratione reficiantur, imo & à capite fiat Revulſio. Interim tum ad corroborationem, tum & viſcerum calorem temperandum frequens ſit uſus Electuarii ſequentis duabus ante cibum horis Juglandis quantitate devorandi. ℞ Conſerv. Roſar. rubr. Vitriolat. & Cichorii, ana ℥j. Specierum Diarrhodon Abbatis ℈iiij. Syrupi Conſervationis corticum Citri q. ſ. Miſce, fiat Electuarium. His factis materiam ad caput

ruentem

ruentem omni ingenio ſiſtere & revellere ſtudebis Fonticuli in brachio ſiniſtro, & alterius in femore dextro tribus circiter ſupra genu digitis impreſſione. Intra vero aſſumenda, quæ crudas exhalationes à viſceribus concoctionis aſcendentes reprimere apta nata ſunt; quod conſequi poteris, ſi Nucem moſchatam in *India* conditam duarum drachmarum pondere ſomni hora devoraveris; vel hujus loco Juglandis quantitatem de ſequenti Electuario aſſumpſeris. ℞ Conſerv. Roſar. ℥ſs. Thuris albiſs. ſive Olibani ℈ij. Spec. aromat. Roſat. ʒſs. Nucis moſch. cond. ℈ſs. Syr. è Roſ. ſiccis q. ſ. Miſce, fiat Electuarium. Huic adjunge pulverem pepticum à paſtu Cochlearis quantitate devorandum. ℞ Semin. Coriandri ℥jſs. Semin. Aniſi, Fœnic. ana ʒij. Menthæ hortenſ. ʒj. Cort. Citr. cond. ℈iiij. Glycyrrh. ℈j. Cinamom. ʒſs. Flor. Violar. Borag. ana ℈ij. Sacchar. albiſſ ℥vij. Miſce fiat pulvis groſſus. Hic pulvis concoctionem adjuvat, ſtomachum roborat, flatus diſcutit, caput exſiccat, cerebrum confortat, & Catarrhos ſiſtit, ei tamen non ſuperbibendum. His factis ad materiæ affluxæ evacuationem tranſeundum. Sternutatoria nimis agitant. Maſticatoria valentiora ad fauces & pulmones facile deducunt. Poteris tamen matutino tempore grana Maſtichis maſticare. Cervici applicetur Emplaſtrum veſicatorium & appoſito Braſſicæ folio, mane veſperiq; renovato, veſicæ ſerventur, quo ſerum acrius ad proximam partem apertæ derivetur & evacue-

tur. Caput ſuffumigetur Succino, ſuperimpoſito Sacculo aut Cucupha capitali. ℞ Sem. Nigellæ ʒjſs. Carui, Fœnicul. ana ʒjſs. Maſtich. Thuris, ana ʒj. flor. Roſar. rubrar. fol. Beton. verben. ana Mſs. Miſce fiat pulvis groſſus pro Sacculo. Interim non negligenda materia in pectore cumulata, quam Tabulis Diatragacanthi frigidi, Diaireos & ſimilibus optime expectorare poteris. Tandem obſervanda Tibi proba victus ratio, utendo cibis boni ſucci & facilis concoctionis, ne alimentorum pravorum eſu cruditates colligantur, vitanda omnis repletio & varietas tam quoad eſculenta, quam potulenta, à quibus non incipiendum, ſed ſitis aliquandiu toleranda. Jejuno ſtomacho frequens ſit uſus Electuarii. ℞ Conſerv. Roſar. rubr. Anthos, Betonic. ana ʒj. Myrob. cond. no. j. Nucis moſch. cond. ʒj. Spec. Aromat. Roſ. Dianth. Diambr. ana ℈j. Syr. de Cort. Citr. q. ſ. Miſce, fiat Electuar. Poſſem Tibi complura alia ſuadere ſed hæc ſufficiant. Tu iis fruere in commodum tuum uberrimum. Vale.

Concil. LI.

In Aphtis pro puella quadam ad nobilem parentem ejus.

SI totum perluſtraveris mundum, V. N. & omnia, quæ in ſinu ejus repoſita ſunt vel ſuperficiei adhærent, ſedulo contemplaveris, omnia miraculorum plena invenies. Inter miraculo

raculorum vero Iliada nullum homine admirabilius & quod raritate & præſtantia ſua animum magis ſuſpenſum & attonitum reddat. In ejus ſane mirabili & non imitando opificio ineffabilis Dei, conditioris opt' max' providentia, ſapientia atq; immenſa bonitas ſummopere eluceſcit. Hinc non illepide *Merurius Triſmegiſtus*, & divinioris illud ſapientiæ lumen *Plato*, *Ariſtotelis* quondam Præceptor, Microſmum, id eſt, hominem, auguſtum Dei Templum & ſimulacrum nominarunt. Nam ſicut in Numiſmate *Cæſaris* charagma; ita in homine conſpicitur Dei ſculptura, quem non abs re miraculorum maximum ſtatuerunt olim celeberrimi Philoſophi. Quid obſecro infantis in utero materno plaſmate, nutritione, ſtato tempore enixu, quid, inquam mirabilius dici vel excogitari poſſit? Certe nihil. His mihi ſeptem orbis miracula jure videntur cedere, ut merito quis cum *Martiali* de infantis plaſmate & enixu dicere queat;

Barbara Pyramidum ſileant miracula Memphis,
Aſſidus jactet nec Babylona *labor*;
Nec triviæ Templo molles laudentur honores,
Diſſimuletq; Deum cornibus ara frequens.
Aëre nec vacuo pendentia Mauſolæa
Laudibus immodicis Cares *in aſtra ferant.*
Cuncta puerperio cedant miracula mundi,
Infans quo reſerat clauſtra pudica Matris.

Lugendum ſaltem, quod tantum tanti Conditoris opificium, tam affabre conſtructum & miro artificio fabricatum, adeo labefactatum peccato ab ipſo ſtatim ortu, ut mille morborum phalangibus undiq; obvallatum ocyus corrueret, niſi Deus illud præpotenti manu ſuſtentaret. Nempe ut fragilis aliqua cymbula variis agitata procellis & tempeſtatibus plurimam admittit rimoſa undiq; paludem; ita & tenella infantulorum ergaſtula, laborioſo per anguſta uteri latibula tranſitu, dolorifica venæ umbilicalis abſciſione; aëris amico calore blandientis cum inclementi permutatione; victus quoq; à naturali & conſueto omnimoda diverſitate, necnon è molli loco in duram, aſperam, ſpinis ſertiſq; conſitam, coloniam tranſmigratione, attrita languent, & variorum morborum carnificina marceſcunt, & ſæpe ſæpius quam vix hauſerunt, vitalem auram immature effundunt; ut non immerito dubitet quis, meliorne iis ſit mater, an triſtior noverca Natura. Mirari ſane ſubit *Platonem*, omnis auguſtioris ſapientiæ magiſtrum, qui omnes morbos ab animo ortus ſui primordia derivare affirmat, cum tamen infantes, antequam ipſis à Deo animo uti datum eſt, morbis ſæpe affligantur. Hinc *Græci* olim & *Romani*, de vita & valetudine eorum dubii, non niſi effluxo longiore temporis ſpatio nomina iis imponere ſolebant. Nulla ſane ætas ab ullo morbo libera & immunis, ſed omnes cujuſcunq; ætatis mortales omnium tyrranidi æque ſubjecti ſunt; quod non tantum *Hippocratis*,

cratis, ſummi in Medicina Dictatoris, oraculo ſancitum eſt, ſed & quotidiana experientia, fida rerum magiſtra, abunde docet & ratio ipſa evincit. Sunt tamen aliqui infantulis proprii, quos longa ſerie venerandus noſter è Coo Senex in Aphoriſmis ſuis enumerat, in quorum cenſu oris quoq; tubercula ſeu puſtulæ, *Græcis* ἄφθαι dictæ, recenſentur, lactis vitioſi vel ſaltem in ventriculo infantis corrupti, genuina ſoboles. Familiariſſimus eſt infantulis affectus hic, ita ut è centum vix unus reperiatur, qui non puſtulis iſtiuſmodi moleſtetur. Et prompte quidem hoc malo afficiantur ob corporis mollitiem & teneritudinem, victus inaſſuetudinem & copioſiorem lactis ſuctionem, undè lac in ventriculo corruptum huic malo generando ſatis eſſe poteſt. Tubercula hæc ſeu puſtulæ ſi in ulcera degenerent, plurimum negotii faceſſunt, & ſuctionem impediunt, quandoq; etiam lethum accelerant, maxime ſi nigro colore erumpant, alias in mollioribus infantium corporibus modeſte adſtringentibus facile curantur. Magna eſt horum tuberculorum differentia, de qua nihil invenio in literis tuis, ita ut difficile ſit rectum Tibi conſilium ſuppeditare. Varianda enim cura pro diverſo Aptharum colore; ſiquidem alia requirunt remedia quæ albæ ſunt, alia quæ rubræ & igneæ, alia quæ lividæ, & ſic de aliis. Ne tamen deeſſe Tibi videar, velim ut ſæpius in die laves ulcuſcula hujuſmodi Aqua vel, quod præſtat, decocto hederæ terreſtris addito Melle roſarum vel hu-

jus loco decocto Veronicæ; quæ duo remedia in hoc affectu efficacia non ſemel ſum expertus: quod ſi malum non ceſſerit his, poteris iis adjicere lapidem Prunellæ, imò & Spiritum Vitrioli in contumacioribus Aphthis admiſcere. Hæc tuta ſunt, etſi forte aliquid eorum ab infantulo deglutiatur, minime nocitura. Cavendum tamen ne infans mox ab eorum uſu lactetur, præſertim ſi Spiritum Vitrioli adjeceris, ne lac in ventriculo coaguletur. Prodeſt etiam ſingulis diebus ter quaterve confricare Aphtas foliis viridibus Salviæ ſummis ſeu in cacumine natis, in aqua prius ablutis ac deinde vino rubro imbutis. Non incommode etiam Mentham cum Maſtiche ventriculo filiolæ tuæ impoſueris, ne lac in eo corrumpatur: in quem finem etiam parce lactandam ſuaſerim donec ventriculus fuerit emendatus & probe concoquat. Hæc ſedulo adhibenda à conjuge tua, & monenda, cum ipſa filiolam nutrire & lactare decreverit, ut in victu diligenter abſtineat ab omnibus, quæ maſſam ſanguineam ſeroſis, fervidis & acribus humoribus inquinare apta nata ſunt. Nec ullo modo omittat pulverem ante biduum tranſmiſſum, pulti permiſcendum, qui peculiari vi caput roborandi & à convulſivis inſultibus tuendi præditus eſt. Et hoc eo ſerio magis animo urgeo, quod filiola tua dulciſſima in ipſo plenilunio nata ſit, *Mercurio* Lunam minime intuente: unde Aſtrologiæ periti paroxyſmos Epilepticos præſagiunt & obſervarunt, infantes in novilunio aut plenilunio in hanc lucem

lucem editos, raro durabiles esse aut firma valetudine uti. Hi quidem propter nimium humiditatem, illi vero propter nimiam siccitatem languere solent. Id quod à me quoq; in non paucis annotatum. Sed hæc in Dei voluntate posita, qui numeravit omnes dies nostros. Faxit ipse, ut filiola tua fausta Lucina nata, sit Tibi perpetua, quæ Tibi olim seni, ut Ciconiæ eorum parentibus senio enervatis, sustentaculum præbeat & consolationi sit, atq; ἀντιπελάργησιν, gratam beneficiorum remunerationem referat. Et hæc Tibi, quem ob absentiam meam coram alloqui non potui, per literas significare volui. Vale & nobilissimum Domin. parentem, conjugem, sorores meo nomine, quam potes, officiose saluta.

Concil. LII.

De usu infusionis Rhabarbari in corpore cachectico ad Medicam quendam.

QUod gratissimis literis tuis, dextro mihi *Mercurio* traditis, serius, quam forsan opinabaris, rescribo, Clariss. Vir, id neq; negligentiæ, neq; occupationi, multo minus oblivioni amicitiæ nostræ adscribas velim. Aberam ab urbe cum in manus meas pervenerunt. Nunc domum redux intermittere nec volui, nec debui, quin prægnanti Epistolæ tuæ breviter responderem. In ea libere, sed magna mode-

modeſtia accuſas Rhabarbari Infuſum in aqua Endiviæ in puella nobili curanda inter alia complura á me quidem propiſitum, quod pleraq; alia medicamenta faſtidiret, non tamen ſine ulteriori conſenſu & conſilio tuo injunctum. Eam cachexia laborare, ad hydropem properante, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe puto. Id ipſum faciei indoles, quæ antehac roſeo genarum & labiorum rubore florebat, nunc vero exanguia palleſcunt, præter alia evidentiſſime evincit. In hoc affectu hepar debilius & obſtructionibus infarctum, vitioſum & ſeroſum ſanguinem generat, unde quamvis apponatur & quadamtenus partibus agglutinetur, id tamen cum ob nimiam cruditatem imperfecte fiat, neceſſe eſt, ut nutritio ſubſequatur illegitima. In quo caſu, quid quæſo Rhabarbaro utilius, quid accomodatius excogitari poteſt, quod clariſſimi *Montani*, *Augenii*, *Bertini*, *Jouberti*, *Fernelii*, aliorumq; complurimum haud infimi ſubſellii Practicorum ſuffragio, aperit, abſtergit, evacuat & hepar egregie corroborat; unde & cor atq; anima hepatis vocari conſuevit. In hujus exhibitione Nobiliſſima hujus puellæ Amita non videtur mentem meam aſſecuta in uſu hujus Infuſi, quod non purgandi, ſed obſtructiones reſerandi ſcopo unice propoſui, ut mirum non ſit, ſi nihil purgaſſe dicat. Te ſaltem mirari ſubit, qui Rhabarbaro vim aperiendi adimis contra clariſſimorum Practiorum opinionem. Nullum inveniri præſtantius remedium pro obſtructionibus

nibus hepatis autor est *Augenius* celeberrimus, quam Rhabarbarum, etiam in substantia exhibitum; & *Montanus* affirmat, crassissimos humores impactos & obstructiones, quæ ob caloris imbecillitatem facile tolli non poterant, ex Rhabarbari assumptione se curatas vidisse, & idem inter reliqua à se longa experien' comprobat' laudat Rhab' in aq Endiv. infusum in febribus ab obstructione natis; & testatur se nunquam vidisse hujusmodi Febrim hoc remedio non fuisse ablatam. Sed objicis, periculum esse, ne humores vi medicamenti adstrictiva penitius impingantur & in interiores partium receſſus humores leviter moti abripiantur. At exigua, si ulla, inest huic Infuso, rite parato, adstrictio, quo partes aëræ tantum & tenuiores, non terrestres & crassiores extractæ sunt. Quod si vero ei adstrictio inest, ea potius ad obstructiones feliciter expediendas est necessaria, tantum abest, ut impedimento aut noxia esse possit. Cum bene aperire volumus, inquit *Galenus*, Medicorum Præceptor ac judex communis, cum re aperiente debet aliquid esse, quod adstringat. Ideo Absinthium optime aperit & stipticitas ejus ad penetrandum adjuvat & manus impellentis munere fungitur. Idem de Rhabarbaro affirmandum. Exemplificat hoc *Galenus* de Oleo rosaceo, quod magis humectat corium, quam oleum simplex, quia stipticitas olei Rosacei adjuvat penetrationem, quod non facit oleum simplex. Et ne hoc gratis asseruisse videar, en Tibi experientissimi *Montani* auto-

autoritatem, Non verenda ſtipticitas Rhabarbari, inquit; Manifeſtum enim eſt, quod vehementer aperit & abſtergit. Aliudq; eſt, cum intra aſſumuntur talia, & aliud cum extra applicantur; quia exterius adſtringunt partes cutis, interius penetrant, ut Abſinthium. Sed de his ſatis, in quibus ſi tibi ſatisfeci, pergere poterit nobiliſſima puella in infuſo Rhei, non ſine commodo & ut ſpero maximo ſuo emolumento: Sin minus, alia ad reſerandas viſcerum obſtructiones & tonum eorum, multum labefactatum, ſi Deo viſum fuerit, reſtituendum, præſcribenda erunt. Vale, & me ama.

Concil. LIII.

Ad amicum quendam de potu matutino.

GRatiſſimas literas tuas recte accepi, quibus quod meum erga Te ſtudium tantopere probas & tanta eloquentia prædicas, id nulli merito meo, ſed inſigni tuæ humanitati & ſingulari erga me propenſioni unice tribuo. Certe, quicquid in me eſt, quod ſentio quam ſit exiguum, id omne cum reverendo ſocro tuo, multis mihi nominibus amando & obſervando, tum & Tibi ipſi debeo & lubens offero. Utriq; veſtrum & bene ſemper velle, & oblata quacunq; occaſione benefacere, pro tenui meo modulo, teneor. In eam partem avidiſſime inclinantem genium meum amplectere, & quicquid in tuum venerit compendium de me Tibi confidenter promitte. Quod ſtadium medicum,

cum, à me Tibi injunctum, intrasti percurrendum, id Tibi felix fauſtumq; ſit præcor. In eo ſtrenue pergas velim, non interpolatis remediorum aſſumptionibus, vel ſubſultorio quodam modo, ſed continuo eorundem filo; quod ſi interrumpas, oleum, quod ajunt, & operam Te luſiſſe crede. Noſti, quod trito dicitur verſiculo, Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo. Quamdiu enim morbus eſt præſens, tam diu in remediis perſeverandum, nec ullæ contumaci morbo dandæ induciæ. Dabit tandem victus manus, ſi vires ejus continuis telis infringere perſtiteris. Memineris ſaltem, ut per convenientem diætam cauſarum antecedentium proventum præcavere ſedulo nitaris, quæ ſi improba ſit, ſatis eſſe poteſt Catarrhis & centum aliis malis generandis, qua neglecta, nehilum quidem proficies. De ea probe obſervanda ante hac monui, nec plura addo, ne crambem coctum recoquere videar. Jam Tibi ſcrupulum animo tuo inſidentem, de potulentis, mane, more *Anglico* abſorberi conſuetis, pro virili adimere ſtudebo. Interdixi Tibi in conſilio meo potu matutino. Nec id ſine gravibus rationibus, quas ſi ſerio tecum ruminaveris, non dubito, quin utroq; pede in meam facile ſententiam ſis abiturus. Præterquam enim quod potu matutino, ut ipſemet in literis tuis, propria experientia edoctus, teſtaris, caput rationis domicilium repletur, atq; ingenii acies obtunditur; Solent enim æthereo *Apollinis* & *Veneris*, *Solis*

Solis pediſſequæ, nec non *Mercurii* ſpiritu atq; radiis, qui mane noſtrum obſident hemiſphærium, non tantum alia ſublunaria, ſed & ingenii vires illuſtrari; quæ inſtar nebulæ ob repentis à vaporibus ex potu matutino in ſacram Palladis arcem elatis, miro modo obfuſcuntur; ita quidem ut nec ſtudiis ſedulo incumbere nec ſerio quicquam meditari poſſis. An non potus ad permiſtionis vel diſtributionis alimenti cauſa maxime hauritur? Dic quæſo, an non hoc fruſtra vacuo ventriculo inſtituitur. Eſt ſane creaturæ abuſus quidam, cum ea non in fines à Deo ordinatos, ſed noſtros utimur. Quin & potus matutinus, quem pleno poculo, ut utriq;, quod ajunt, oculo abluendo ſufficiat, abſorbere ſolent, ventriculum humiditate ſua laxat, unde diſſolutis ejus rugis, in quibus robur ejuſdem conſiſtit, ventriculi tonus deſtruitur & concoctio vitiatur, ita ut plurimæ in eo cruditates colligantur, quæ obſtructiones augent & defluxionibus anſam præbent, atq; aliis graviſſimis malis natalitia ſuppeditant. Sed & aliud malum à potu matutino exurgere ſolet, in iis præſertim, qui quoad viſcera naturalia ſunt calidi, quibus vacuo ventriculo materia potulenta cruda mox à ſitibundis viſceribus ſanguificationis exugitur ac ſeroſæ plenitudinis copiam auget, quæ poſtea caput petit, quod ſua natura tanquam receptaculum & labrum ſeroſæ ſuperfluitatis exiſtit. Hinc os & linguam ſemper ſecundum naturam madeſcere nobis percipimus. Atq; hæc eſt frequens & fœcun-

da

da Catarrhorum mater, cujus genuina ſoboles eſt tuſſicula de qua querelam inſtituiſti. Poſſem complures alias rationes in medium proferre, ſed hæ Tibi ſufficiant. Interim non negaverim, conſtitutionibus quibuſdam ex accidenti, vel ob conſuetudinem vel remedii, vel alius rei cauſa, potum jejuno ſtomacho concedi poſſe, ob diverſas cauſas, diverſis qualitatibus præditum. Sunt etiam quidam adeo humidi ſtomachi, ut nullo vel pauciſſimo potu indigeant. Et novi fœminas, natura ſua viris humidiores, quæ vix triduo bibunt. Non raro cibus ipſe ſufficientem humiditatem obtinet, dum liquidiora alimenta aſſumuntur. Recte feceris, me quidem judice, ſi jentaculo aut ἀκρατίσματι aſſuetus, cibum potui adjunxeris, ita quidem ut potus proportionem debitam cum cibo tum quoad quantitatem, tum qualitatem, habeat, cavendo ſedulo ne cibus in ventriculo fluctuet; Sic enim rite non concoquetur. Debet utiq; alimentum conſumpto reſpondere. At non tantum ſolida, ſed & humida ſubſtantia conſumitur. Optime itaq; junguntur, ut utriq; appetitui, fami ſitiq; ſatisfacias, dummodo parca manu aſſumantur. Siquidem ſobria victus ratio omnium virtutis bonorum diſpenſatrix. Sed quo feror? Jam tempus eſt ut vela contraham. Tu hæc qualiacunq; æqui boniq; conſule & Vale.

Concil. LIV.

In Hepatis & Renum calore pro viro quodam reverendo.

SErius ad Te ſcribo, quam conſtitueram, R. V. magna diſtrictus à reditu meo ex Devonia negotiorum mole, ut vix ac ne vix quidem nunc quoq; temporis has ad Te exarare commode liceat, niſi canis inſtar lambentis *Nilum* aliquot momenta ſuffurari valeam iis, qui me querelis ſuis opprimunt & variorum languorum auxilia flagitant, frigentibus alio tempore ædibus meis ab hujuſmodi hominibus. Sed ad rem. Affectus qui Te affligit, facile cognoſcitur, etiam ab artis ignaris. Sed cauſas ejus cognoſcere artificis ſolum eſt, quas ego lubens Tibi pro virili explicabo qua poſſum brevitate, ut affectus tui naturam & indolem intelligere queas. Innaſcitur in utero matris omnibus atq; adeo ſingulis corporis noſtri partibus certa quædam conſtitutio, certumq; temperamentum, cujus ratione membrum membro imbecillius, & è contra aliud alio validius efformatur & tali vel tali temperamento præditum. Cujus quidem rei cauſa tum in ſeminis & ſanguinis in utero conceptionis tempore permiſtione; tum ſiderum aſtrorumq; aliquo affluxu, tum & maxime parentum morboſa conſtitutione, cujus ſeminarium quoddam

ab

ab iiſdem in ſobolem quaſi hæreditario jure transfunditur, quærenda. Ita Tu quidem Hepate & Renibus imbecillioribus & fervidioribus à Natura, rerum parente, donatus, quæ quidem partes naturali ſua intemperie omnes, de quibus concoqueris, moleſtias Tibi creant. Ita conjux tua lectiſſima Caput & Lienem à Natura obtinuit infirmiora, unde Catarrhis ex ſacra Palladis arce in ſubjectas partes defluis, nec non affectui Hypochondriaco obnoxia exiſtit. Vix inveneris unum è mille hominibus, qui plane liber ſit ab ejuſmodi hæreditariis malis. Quodſi ſtatim, dum vires integræ ſunt, vitia hæc ſeſe non prodant, attamen tempus & ætas ſemper aliquid ſecum adfert, de quo conqueraris. Quænam fuerint à parentibus derivata generationis primordia ignoro. Scio tamen jam Tibi eſſe, & credo ab ipſis incunabulis fuiſſe, ventriculum frigidum, Hepar vero & Renes calidos imò totius temperamentum ad calidum & ſiccum declinare. Longum foret hoc ipſum multis rationibus demonſtrare: affectus partium corporis animalium, vitalium & naturalium, idipſum clariſſime evincunt. Hinc eſt illa ingenii promptitudo & alacritas, judicium ſolidum, ſenſus acerrimi & alia ejus generis permulta, quorum non faciam mentionem, ne prolixitate auribus tuis nauſeam moveam. Hinc aucto paulatim accreſcente ætate, quæ jam ferme conſiſtentem attigit, calido temperamento, maxime ipſius Hepatis, factum eſt, ut & Renes juſto calidiores redditi ſint.

Hi ſiquidem Jocineri ſunt proximi atq; multam cum eo connexionem habent, unde rarum eſt, quin in idem cum eo temperamentum conſpirent. Atq; hanc renum calidiorem conſtitutionem non parum adaugent labores tui miniſteriales, quibus tenellum corpuſculum tuum, in quo tamen latet anima fortis, non eſt ferendo. In concionibus enim vel quia plurimum laboras, id enim poſtulat non tantum loci amplitudo & audientium multitudo, ubi opus eſt majori vi intendere vocem, ut ad omnes expedite pervenire poſſit; vel quod ob morbos prægreſſos corporis conſtitutio imbecillior eſt facta; His ergo de cauſis excalefacti ſunt Renes, quia dorſum & lumbi, quibus annexi ſunt interius Renes, maxime in actione & geſtibus, dum ſtantes fervore quodam ducti pro concione perorant, non parum laborant, unde laxiores redditi, excrementa facilius recipiunt. Quod curam attinet, evacuandæ ſunt prius primæ corporis viæ, antequam alterationi incumbas, maxime cum præter nudam intemperiem materia quædam adeſſe videatur, id quod commode feceris hoc vel ſimili ecco. protico. ℞ Santali Citrini & Semin. Melonum, ana ℈j. Rhabarb. ʒj. Tamarind. ʒiij. Caſſiæ noviter è Canna extract. ʒjſs. Infundantur omnia in decocto Cichorii, Seriolæ, Boraginis, Prunorum & florum Cordial. ſuper Cineres calidos, expreſſum detur adjecta Syr. Roſacei ʒj. ſummo mane ex artis inſtituto. Evacuatione abſoluta præſente plethora quadam recte feceris,

feceris, ſi Hepaticam aperiendam curaveris, tum ad depletionem, tum & refrigerationem, vel ſaltem hirudinibus ſanguinem è venis ſe dalibus emunxeris. Ad Hepatis porro & Renum incendium extinguendum, cum Ver jam ingreſſi limus, ſuaſerim Tibi ſeri lactis, ſucco Cichorii medicati, uſum, quod quantopere in refrigerandis viſceribus ac bilioſis ichoribus ducendis polleat, nemo in facienda Medicina vel mediocriter verſatus ignorat. Cavendum ſaltem ne retineatur in corpore, unde maxima ſæpe oriuntur mala. Nam cum humectet ac refrigeret, viſcera naturalia nimium labefactaret & præterea flatuoſi ſpiritus copiam gigneret. Quod ne contingat magna ejus quantitas propinanda ut facilius tranſeat. Poteris itaq; eius paululum calefacti libram unam cum dimidia omni mane per totum menſem *Maium* aſſumere, ſubſequente moderato exercitio. Seri uſum excipiat aquarum mineralium Vitriolatarum potus per plures ſeptimanas cum debitis cautelis, quæ in pluribus hujus comitatus locis ſponte ſua ſcaturiunt & *Tonbrigenſibus* non ſunt inferiores. Interim Hepar corroboretur interne quidem Electuario. ℞ Conſer. Roſ. r. Cichor. Violar. Nymph. Cynosbat. & Borag. ana ℥ſ. Rad. Cich. cond. ʒvj. caulium Lactuc. cond. ℥ſ. Spec. Diarrh. Abb. & Roſat. nov. ana ʒſ. Syr. Corall. & Viol. ana q. ſ. Miſce fiat Elect. Extra vero affricetur Ung. infrigid. *Galeni* & Roſat. Meſues, addita cerati Santalini portione, quod & Renibus illiniri

poterit, ſuperimpoſito Nympheæ folio. Tandem obſervanda victus ratio refrigerans, non vero obſtruens. Proſunt hordeacea. Ex herbis Lactuca, Acetoſa, Cichorium. Cibi condiantur ſucco Liminiorum, Citri, Ribes & ſimilibus. Potus ſit Cereviſia tenuis; & nota, quod omnibus; quibus Hepar calidius eſt, utile ſit bibere præſertim bene coctam & defœcatam Cereviſiam, poſtquam cibus è ventriculo egreſſus fuerit atq; coctus. Ita enim teſte *Avicenna*, ventriculus abluitur, inteſtina, quæ Hepatis fervore humido exhauſta, humectantur, alvus laxa efficitur, & chylus rectius penetrat. Sed de his ſatis ſuperq;, quæ Deus Tibi reddat ſalutaria. Vale.

Concil. LV.

In vermiculis è veſica cum urina excretis à viro quodam ſpectabili.

TRaditæ mihi ſunt literæ tuæ, Vir ſpectatiſſime, quibus refers, Te cum urina non ſine animi ſtupore vermiculos quoſdam crinitos, & atrovireſcentes reddidiſſe, adeo quidem vivaces, ut vitæ fuga conſulturi è matula reperent. Rarum hoc, ſed nihil novi, quin idem antehac quoq; obſervatum. Non eſt ulla fere corporis pars, in qua vermes generari nequeant, cujus quidem rei complures inter alios hiſtorias collegit *Marcellus Donatus*, haud infimi ſubſelii

ſubſellii Medicus. Etſi vero ſint, qui vermes in veſica generari poſſe inficias eant, quod ad eorum formationem quies requiratur, ſimulq; neceſſe ſit, ut materia in veſica putreſcat; in veſica vero materia diu quieſcere nequeat, quum tam frequenter urina ſit recipienda intus & contracta veſica denuo reddenda. Imò dicunt, veſicam eſſe humoris acris & ſalſi receptaculum, ex quo nec generari nec generati nutriri queant. Sed hoc ſenſui & experientiæ, rerum omnium fidæ magiſtræ, contrariatur, ita ut nemo amplius dubitare de eo poſſit. Et referunt *Aloiſius Mundella*, *Rembertus Dodonæus*, *Balduinus Ronſeius*, *Joachimus Camerarius*, & alii indubitatæ fidei & autoritatis Medici, variorum vermium è veſica excretorum hiſtorias admirandas. Natura quippe, rerum parens, ludos in operibus ſuis facit, qui nobis quaſi miraculorum loco ſunt. Quid mirum? ſi animus tuus rei novitate ſuſpenſus atq ſtupore plenus fuit. Admiramur enim, quæ præter naturæ ordinem evenire videmus, vel quæ rara & infrequentia ſeſe nobis offerunt. Mirari deſines, ſi conſideraveris, materiam vermium generativam in omnibus fere corporis partibus reperiri poſſe. Et quis negabit, in veſica ſæpe humorem lentum, viſcoſum & pituitoſum luxuriare, ex quo putrefacto, calore nativo & vitali illum informante, animalcula iſtiuſmodi generari facile poſſunt, non ſecus ac alia animalia ex Sole procreantur; cum nimirum materia apta eſt ad illius vim ſuſcipiendam.

Nec obſtat urinæ acrimonia & ſalſedo. Siquidem à materia putrida etiam extra corpus vermes in urina ſubinde producuntur. Quidni Tibi tale quid in veſica tua accidiſſe ſtatuamus? Quod curam attinet, de qua ſolicitus eſt, ea evacuatione & abſterſione perficienda. Quoad illam. ℞ Tamarind. ʒiij. Elect. lenitiv. ʒſs. Caſſia recens è canna extr. ʒj. Infundantur ſimul per noctem in decocto Cichorii, Portulacæ, Scordii, Prunorum acidorum, florum Nymph. & Viol. ſuper cineres calid. In expreſſo diſſolve Syr. florum Perſicorum ʒj. Miſce, fiat potio haurienda mane & repetenda. Hanc vero commode abſolves Pilulis aliquandiu uſurpandis. ℞ Terebinthinæ Cypriæ pluries lotæ in aqua Graminis & Portulacæ ʒſs. Rhabarb. pulv. ʒj. Corallinæ ʒſs. Miſce, fiat Maſſa, ex qua formentur Pilulæ inſtar cicerum quarum quatuor ſingulis matutinis devorabis. Plura jam adjicere nequeo ob tabellarii feſtinationem, impoſterum forſan alia adjiciam. Interim his fruere in commodum tuum meq; de ſucceſſu certiorem fac, qui Tibi omnia opto & auguror felicia. Vale.

Concil. LVI.

Ad juvenem quendam ſtudioſum cui Nicotianæ fumum diſſuaſeram.

QUanquam antea mihi cum multis aliis, tum & literarum nominibus longe chariſſimus eſſes, difficile tamen dictu fuerit quantus cumulus meo in Te amori ex ultimis tuis ad me datis acceſſerit. Vis vera dicam? Adeo, ut nihil ſupra, arriſit mihi ſtylus tuus, ſimplex & naturalis, verba non aliunde petita, ſed una cum ipſis rebus cohærentia, ſenſus ſani & ſolidi, nihilq; neq; in verbis neq; in ſententiis aut contortum aut coactum, aut imminutum, deniq; aut redundans: Argumentum vero non tantum jucundum ſed & utiliſſimum. Quæ mihi Te & amandi & æſtimandi potentiſſima cauſa eſt. Quippe is ſum, qui genuinos literarum cultores unice diligo & anſam mihi offerri cupio; quæ poſſit opera mea quatulacunq; cedere in ipſorum emolumentum. Cæterum, quod judicium meum de Nicotianæ uſu vel potius abuſu tantopere Tibi placuiſſe ſcribis, id amoris tui eſt, non meriti mei, qui nihil in me agnoſco, niſi tenue, humile & anguſtum. Diſſuaſi Tibi fumum foliorum Siccorum & in funem contortorum, tanquam noxium & naturæ humanæ inimicum. Tu vero acerrimus iſtius Plantæ propugnator, ſcrupulos aliquos

de eadem enodandos proponis. Silerem quidem genium tuum vituperans, qui judicium meum requiris, cum eo loci degas, ubi vel parietes ipſi ſunt tum eruditiores, tum diſertiores, quam nos ruri intra raſtra degentes, ut quod hic pulchre, politum, elegans, venuſtum habetur, iſthic non rude, non ſordidum, non inſulſum videri non poſſit. Sed denegare Tibi quicquam piaculum duxerim. Paucis itaq; objectionibus tuis reſpondebo, ut petitioni tuæ morem geram. Plantam iſtam miris à Deo conditore maximo, donatam eſſe viribus, nemo ſanæ mentis inficiabitur. Unde proculdubio Herbæ ſanctæ & Sanæ ſanctæ nomine inſignita fuit. At quis adeo inſipiens & perfrictæ frontis, qui affirmare auſit, Deum omnes aliarum herbarum vires & virtutes in hanc unam contraxiſſe, ut aliis palmam eripiens Panacæa, ſi Diis placet, ſalutetur, nec ullis aliis ad profligandos mille morbos opus ſit remediis. Incaſſum ſane creatæ eſſent omnes aliæ Herbæ, & Terra inutili pondere myriadum Plantarum premeretur fruſtra, ſi huic uni omnium ineſſent facultates: cum tamen Deus & natura nihil faciant fruſtra, Dic quæſo, ſi una hæc herba omnes debellantur morbi, cur aliis, quod facitunt, eos aggrediuntur telis? Profer ſodes medicinam, quæ frigidum pariter & calidum morbum per ſe poſſit removere & extinguere. Haud me latet & ſæpius ſum expertus, frigida remedia frigidos depluiſſe morbos. At hoc neq; ſemper, neq; in omnibus, neq;

per

per ſe, ſed ex accidente effecerunt. Hac ratione aqua frigida vel nix per antiperiſtaſin calorem ſæpe accendunt. Calida frigidis contraria eſſe, quis neget? Et contrariorum contraria remedia eſſe debere, ratum eſt apud Practicos. Nicotiana itaq; ſi calida eſt, ut ſtatuis, morbis certe calidis minime commodabit; ſi frigida eſt, calidis quidem conveniet, ſed frigidos exaſperabit; ſi temperata, neutros vel juvare vel lædere poterit. Sed dices forſan, hanc Plantam, ut aliæ complures, diverſis conſtare partibus, quibus omnibus, tum calidis, tum frigidis morbis propulſandis apta nata eſt. Hujus opinionis invenio quoſdam, non infimi ſubſellii Medicos, eo quod odor hujus Plantæ reſinoſus, non ingratus, nec non ſapor acris & mordax, calorem arguant; quia vero aliquantulum ſtupefacere & ſomnum inducere ſolet, frigidam eſſe volunt, cum adjuncta humiditate exrementitia, quæ facile ad caput evolat. Sed errant, me quidem judice, dum vim ſtupefactivam in frigiditate quærant, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate procedit. Sed concedamus, Nicotianam diverſis conſtare partibus, non ideo tamen panpharmacum erit. Nec enim contraria quibuſcunq; contrariis curantur; ſed neceſſe eſt, ut remedium ad amuſſim indicationi contrarium adhibeatur. Quod ſi verum, ut veriſſimum, Nicotiana ſecundo gradu, ut ſcribis, calida, non erit æque proportionata omnibus morbis calidis. Idem de frigidis ſtatuendum erit. Quodſi enim ſuperiori gradu

ex-

exhibueris medicamentum, in oppoſitum morbum deducetur æger; ſi vero minori gradu applicaveris, aliquid de affectu manebit reliquum, unde relapſus continget, ex *Hippocratis* oraculo, dum ait, Quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere conſueverunt. His adde, quod ſi aliquod extat in rerum natura remedium, quod unum morbos univerſos poſſit funditus eradicare, Medicus eſſe verus is tantum dicetur, cui medicamentum hoc notum eſt, tametſi præter hujus notitiam nihil ſciat. Admodum brevis ergo fuerit ars Medica, ac deliraſſe *Hippocrates* merito judicabitur, cum vitam brevem, artem vero longam eſſe pronunciavit. Recte itaq; eorum judicium explodimus, qui herbam iſtam omnibus morbis tollendis idoneam jactant, & pro panacæa venditant. Sed porro objicis, Nicotianam ob abuſum non ablegandam, ſed ferendam eſſe, quod moderate & parca manu utenti non noceat, quin potius juvet & opituletur. Verum hoc quidem in rebus ſua natura bonis & innocuis, in aliis quæ in ſe noxiam habent qualitatem non ſit ſtatuendum. Nocent talia moderate ſumentibus, multo magis in exceſſu peccantibus. In horum cenſu numeramus Plantam de qua loquimur, quæ non tantum ventriculi ſubvertendi vi, ſed & narcotica quadam facultate pollet, & ſi rerum Indicarum ſcriptoribus fides habenda miras ſæpe viſiones producit. Talia vero rariſſime in uſum adhibenda eſſe, ratum eſt apud omnes practicos, ne eorum crebro & fre-

frequenti uſu, vim nativo calori inferendo, vires labefactatæ concidant. Interim non negaverim virtutes ineſſe huic Plantæ admirandas, ſi rite in uſum medicum ſolerti manu adhibeatur. Ita acredinis ratione, quæ ei ineſt, ſi manducetur, aut in nares attrahatur, mire facit in purgando capite à pituitoſis ſuperfluitatibus, in promovenda in Aſthmate, vi ſua abſterſoria cum penetrantia quadam, expectoratione; maxime vero in vulneribus tum recentibus, tum antiquis perſanandis & aliis, dummodo in uſum veniat neceſſitate urgente, nec indies & continuo pro hujus ævi more hauriatur, ſiquidem conſuetudine, ut aliarum rerum, ſic & hujus vis infringitur. Nocet tamen picrocholis & excarnibus. Sed erras etiam, quod eam defluxionibus omnibus opitulari putas, cum ſi crebro aſſumatur, cerebrum vi ſua narcotica debilitet & caput repleat, ut ſic Catarrhis anſam præbeat. Etſi dentium dolori ex decubitu humorum interdum medetur, id diſcuſſioni & ſtupefactione tribuendum, nocitura alioquin, quod humores attrahat: & novi plures Nicotianæ fumo aſſuetos, qui tamen crebro dentium dolore excruciantur. Neq; ut putas, oculos juvat, quibus fumus ſalino acumine imprægnatus obeſt, *Ariſtotelis* ſuffragio. Quod itaq; jam olim monui, id nunc repetam, ut abſtineas à quotidiano fumi Nicotianæ uſu ob bilioſam, qua præditus es, & excarnem corporis tui conſtitutionem, ne Tabaci uſu nimium exiccetur, tum etiam quia

hujus

hujus Plantæ fumus villos ventriculi moleſtia afficit, ſi nihil vacuandum reperiat, unde illius partis moleſtia & debilitas augetur. Sed de his antehac, Nunc ſi Tibi ſatisfeci non pœnitet laboris, ſin minus, voluiſſe ſatis eſt. Vale.

Concil. LVII.

Ad virum quendam reverendum, cui omnes liberi mox à partu convulſivis motibus correpti periere.

Siniſtro mihi *Mercurio* annunciatus eſt per literas tuas, V. R. immaturus filioli tui recens nati obitus, quem utinam Deus opt' max' ſalvum Tibi voluiſſet. Sed quid agas? aliter placuit ipſi, qui omnibus ut vitam dedit, ita & ejus terminum non tranſeundum conſtituit, cujus beneplacito noſtrum eſt patienti & pacato animo ſubmittere. Nihil in humanis diuturnum, nedum perpetuum. Omnibus ſemel calcanda via lethi, etſi incertum ſit, quem dierum mortalibus terminum naturæ autor ſtatuerit. Hoc adventante inexorabiles ſunt Parcæ, nec formæ, nec opibus, nec ætati, nec imperiis parcentes. Videas hunc inter materni latebras uteri, vix dum homo, miſere præfocari & inter fingentis adhuc naturæ manus intercidere; illum dum naſcitur, iſtum dum in cunis vagit, plurimos in ipſo ſtatim ævi flore, vix dum percepto vitæ ſenſu affatim perire. E

tot

tot hominum millibus, quam paucis, quæſo datum eſt, ad ſenectæ limen pertingere? Hac nimirum lege Deus animum in hujus corpuſculi præſidio conſtituit, ut quocunq; die, quocunq; horæ momento decedere juſſerit, protinus inde ſit exeundum. Et quantulum quæſo refert in hac vitæ brevitate fugacitateq; paulo ſerius, an maturius eximaris? quando hac lege nati ſumus omnes ut moriamur & naturæ debitum ſolvamus. Deceſſit filiolus tuus vitiorum ignarus, calamitatum imperitus, hoc præſertim ſeculo, infelici ſane, vitiorum & miſeriarum feraciſſimo, quo probitas vitio vertitur. Quid allatura ſit longior vita, incertum. Certe, fieri plerumq; videmus, ut poſterior ætas & gravioribus vitiis infantiæ puritatem inficiat & pluribus calamitatibus juventutis felicitatem contaminet. His omnibus ſeu malis ſeu periculis filiolum tuum mors cita ſubduxit & vita perenni, omniumq; infelicitatum immunitate donavit. Erige igitur animum nec dubita fore, ut alii aliquando nati dolorem hunc gaudio permutent, quando ſalva eſt, unde hoc ſperare licet. Culpanda conjux tua, quæ nimio luctu oppreſſa, de futura ſuperſtite prole deſperat, quaſi vero Deus hoc amiſſi filioli damnum recompenſare nequeat. Qui ſcis, utrum nimiæ de prolis ſalute, dum utero gerit, ſolicitudines, timores & edaces animi curæ, liberorum morti anſam præbeant. Eam ſi dicto audientem habuerim, velim ut autumnali hoc tempore, vel ſaltem antequam denuo concipi-

at, ſtadium medicum percurrat, huic funeſto liberorum accidenti accommodatum, id quod hactenus neglexit, cum corpus ejus plurimis ſuperfluitatibus abundare videatur. Nam cum in conjuge tua totis novem menſibus ſanguis, ſingulis Lunæ circuitibus evacuari ſolitus, ac præterea vitioſi humores, qui cum eo eliminari conſueverunt, in utero retineantur & retenti accumulentur, fieri facile poteſt, ut labes aliqua ab iis in fœtum derivetur. Inſuper cum matres omnes non æque ſanæ ſint, & graves ſæpe in victu errores committant, omne vitium illud una cum alimento fœtui communicatur, quæ omnia, etſi non ſemper in utero morbos in infantibus pariant, attamen poſtea in lucem editis cauſæ iſtæ in utero collectæ ſeſe exerentes varios morbos & ſymptomata excitant. Etſi vero, ut in aliis compluribus ſic & in hoc fatali omnium liberorum tuorum affectu, cum nati videantur boni habitus, τὸ θεῖον quid, ut *Galeni* verbis utar, revera ineſſe videatur, quod Medicorum vel lynceis, præditorum ἐυστοχίαν majori ex parte eludat; attamen cauſa, cur tot ex liberis tuis mox à partu convulſivis motibus, epilepticarum æmulis, jugulati perierint, non in hæreditaria aliqua diſpoſitione, ex genitali parentum ſemine & materno ſanguine in liberos propagata videtur quærenda, quam Cerebri frigidæ & præhumidæ intemperiei, peculiari epileptica diatheſi præditæ, ab ipſo ortu contractæ, adſcribenda, cujus merito humores ejuſdem naturæ in ventriculis cere-

bri

bri accumulati imperfectam obſtructionem generant, cui removendæ tanquam moleſtæ & cerebri membranas occulta qualitate infeſtanti, natura per paroxyſmum inſurgit, cerebro ſeſe & nervos ſibi annexos concutiente, unde familiare mihi eſt Fontciulum Nuchæ inter primam & ſecundam vertebram affigere ad revellendam & evacuandam humorum lædentium partem, cujus remedii efficatiam in pluribus ſum expertus. Non negligat conjux tua exquiſitam corporis evacuationem & ſi iterum conceperit, velim ut me de eo certiorem facias. Vale, *&c.*

Concil. LVIII.

In Hypochondriaca affectione ad Scorbutum proxime accedente ad virum nobilem.

Etſi arduum & difficile ſit de morbis abſtruſis & reconditis judicium, attamen rogatus, V. N. ut quid de infirmo corporis tui ſtatu ſentirem, libere proponerem, non potui, nec debui, quin honeſto tuo deſiderio & juſtiſſimæ petitioni ſatisfacerem. Sunt autem varia, nec unius generis, ſed complicata, de quibus conquereris mala, inter quæ primas & præcipuas partes obtinent totius corporis gravitas & laſſitudo; cordis palpitatio; arteriarum in ſiniſtro Hypochondrio pulſus admodum

dum moleſtus; vagi & ὀστεόκοποι diverſarum partium dolores, per intervalla affligentes; ructus à cibo frequentes; vigiliæ nocturnæ; diuturnus, attamen moderatus Hæmorrhoidum fluxus; necnon cutis porriginoſa affectio, cum vividi faciei coloris in pallidum mutatione, totius vero cachectica diſpoſitione & atrophia non contemnenda. Qui quidem affectus, quo omnes facultates videntur læſæ, cum altas, ut patet, radices egerit, diligentem efflagitat morbificarum cauſarum diſquiſitionem, quam dum pro virili inſtituere annitor, ſi forſan in omnibus non ſatisfecero, ad minus non ſum culpandus, qui tenuitatis meæ probe conſcius, Tibi ſaltem expetenti gratificari & animo tuo morem gerere ſtudeo. Ac ne prolixior ſim, quam par eſt, tantorum malorum lernam in partium naturalium diſcraſiam & atoniam, pertinaciſſimis obſtructionibus comitatam unice conjiciendam eſſe duco. Jecur quidem calidius eſt, & Lien imbecillior, ventriculi vero conſtitutio frigida & humida exiſtit. Quam ob cauſam in venis miſeraicis & ſplenicis, non tantum ſuccus crudior ex primæ concoctionis imbecillitate relictus, vi calidioris Hepatis cito nimis attractus, nec propter Lienis imbecillitatem à ſanguificatione Hepatis averſus, colligitur, aduritur & chylo miſcetur, ibidemq; continuas obſtructiones generat, ſed & ſerum quoq; copioſus in maſſa ſanguinea accumulatur. Atq; hinc laſſitudo & corporis gravitas, de qua querelam inſtituis, ortum habet,

bet humoribus ſcil. aduſtis & ſeroſis non tantum in venis & arteriis, ſed & in habitu muſculoſo abundantibus, qui cum inepti ſint ut corpus nutriant eiq; aſſimilentur eo loci hærent vires gravantes & laſſitudinem excitantes. Partibus vero nervoſis & membranoſis ſi affundantur, variorum dolorum, de quibus conquereris, autores ſunt, premendo, vellicando & lancinando, adeo moleſti, ut nullas unquam nec interdiu nec noctu dent inducias, donec per poros omnimode diſcuſſi evaneſcant, obtuſo quodam in partibus relicto dolore. Nec aliam cauſam habet cordis palpitatio, ad actionem læſam pertinens, arteriarumq; in ſiniſtro Hypochondrio pulſus, Lienoſis admodum familiares. Nam etſi minime negaverim hunc motum pulſantis cordis facultatis depravatum à materia quadam vaporoſa per arterias meſeraicas & ſplenicas cordis ſinus ſubeunte & facultatem ejus motricem irritante in Te accidere poſſe; attamen eum utplurimum fieri ſtatuo ab humoribus aduſtis & ſeroſis, cordis ventriculos irruentibus, aſcenſu quodam & metaſtaſi aut epigeneſi è vaſis magnis & potiſſimum arteriis, fervore concepto vel leviſſima de cauſa exundantibus. Ructus, expultricis facultatis ſymptoma, eos plurimorum halituum ex humoribus in Meſenterio partibuſq; vicinis latitantibus, in deq; os ventriculi præter naturam afficientibus, genuinam ſobolem eſſe judico, licet eos quoq; ob ventriculi concoctionem læſam generari poſſe non eam inficias,

cum ſæpe à ſumpto cibo moleſti ſint. Vigiliæ infeſtant ob convenientes exhalationes ſomniferas, aduſtis fumis, ex meſenterium venaſq; partes occupantibus, oriundis, infectas. Hæmorrhoides, ſymptoma in genere excretorum toto genere præter naturam non aliam habere cauſam videntur, quam toties nominatos ſeroſos, aduſtos & tartareos humores ſangu. permiſtos, quorum tenuitate & acrimonia venar. ore reſerantur, cui malo præſto ſunt temperamentum calidum in ætate conſiſtente, membra mittentia fortia, recipientia debilia. Quod malum etſi forſan moleſtiam Tibi creet, attamen cum natura ſoleat corpus à copioſo & vitioſo ſanguine ani Hæmorrhoidibus purum reddere & ſic morbos præſentes ſi non curare, ſaltem imminentes detinere, in ea ſum opinione, ut putem, quod ſub tantis malis hactenus non ſuccubueris, id Hæmorrhoidibus moderate fluentibus unice adſcribendum eſſe. Porrigo ſolius epidermatis paſſio eſt, ab iiſdem humoribus reſiccatæ,& eroſæ,ita ut à ſubjecta cute fruſtatim recedat. Pallidus faciei color à ſanguine impuro & ichoroſis humoribus inquinato natalitia ſua ducit; cum qualis humor in corpore abundat, talis ſit cutis color. Hæc itidem cauſa eſt cachectricæ diſpoſitionis & *Atrophiæ*, partibus bono & convenienti alimento deſtituris, & à vitioſis humoribus, qui affluunt, calore nativo & vi partium nutritiva ita debilitatis, ut nutritionem recte promovere nequeant. Atq; hæc eſt Idæa ſymptomatum, quæ Te,

proh

proh dolor! moleſtant, quorum ſyndrome & congeries Scorbutum, barbare ſic dictum, his malis ſublatere arguit, etſi hujus multorum capitum Hydræ nulla appareant ſigna pathognomica. Quanquam vero propter virium omnium languorem & ſymptomatum multitudinem, reſtitutio difficilis videatur, attamen tentandum, ſi fieri poſſit, & quantum vires ſunt ferendo, laborandum, ut humores leniter evacuentur, materia vero peccans in Meſenterio digeratur & debite præparetur, & poſtea plenius expurgetur; intemperies etiam partium corrigatur, humores in maſſa ſanguinea & habitu muſculoſo diſcutiantur & totum tandem corroboretur. Quoad primum ut lenis inſtituatur evacuatio, uti poteris Apozemate ſequenti vel ſimili. ℞ Rad. Polypod. qu. ℥j. Cichor. Filicis, Scorzon. & Fœnic. ana ℥ſs. Cortic. Tamar. Cappar. an. ʒij. Herb. Fumar. Ceterach. Cuſcut. Capil. Vener. Chamædr. ana M. j. Cochleariæ, Naſturt. aqu. ana Mſs. Flor. Geniſt. Sambuc. Bugloſſ. ana p. ij. Folior. Senæ ℥jſs. Rhabarb. ʒjſs. Sem. Aniſ. Fœnic. ana ʒij. Paſſul. min. ℥ij. Coquantur in ſ. q. aq. ad ℥vj. cum colat. in qua diſſolve Syr. Magiſtr. ad Melan: ℥ij. de Epithym. Byzant. ana ℥j. Miſce, fiat Apozema, cujus aſſumere poteris ℥iiij. pro vice, ſingulis vel alternis matutinis pro ratione operationis. Abſoluto hoc Apozemate ad materiæ in Meſenterio digeſtionem ſuaſerim Tibi Brodium alteratum Cichorio & Paſſulis, addita doſi ſequentis pulveris. ℞ Aci-

di Tartari chalybeati ʒij. Fæculæ Bryoniæ ʒj. Corallor. rubr. præp. ℈ij. Salis Abſinthii & Cochleariæ, ana ℈ſs. Sacchar. cand. alb. ad pondus omnium. Miſce, fiat pulvis dividendus in octo partes. Hoc Brodium aſſumendum bis in die, mane jejuno ventriculo & quarta pomeridiana cum duarum horarum Jejunio, per quatriduum vel etiam plures dies. Poſtea ſubſequatur plenior corporis evacuatio. ℞ Paſſul. & Polyp. qu. ana ʒſs. Jujub. Sebeſt. ana nº. vj. Fol. Senæ ʒſs. Epithym. ʒij. Sem. Aniſ. ʒjſs. Fiat omnium decoctio in ſ. q. aq. cum colat. In cujus ʒiijſs. infunde per hor. iiij. Caſſiæ noviter è canna extractæ ʒjſs. In expreſſo diſſolve Syrupi magiſtr. ad Melanchol. ʒj. Cichorii cum Rhab. ʒſs. Crem. Tart. ℈j. Miſce fiat potio, haurienda mane cum debito regimine. Quod ſi potio non arriſerit ventriculo tuo, devorare poteris Pilular. Tartar. *Querc.* ℈ij. adjectis Reſinæ Jallap. gr. iij. His præmiſſis ad ſeri maſſa ſanguinea & habitu muſculoſo ſuperabundantis diſcuſſionem, obſtructionum reſerationem & ſanguinis Scorbutica labe infecti emendationem proderit aqua Raphani compoſita mane in lecto hauſta, leniter ſuperſudando pro virium robore, idq; ſingulis diebus per dies aliquot continuando. Tandem pro corroboratione uti poteris Electuario ex Conſervæ Cichorii & Roſarum, ana ʒj. & Pulpæ Paſſular. Corinth. ʒvj. conflato, permiſcendo his Limaturæ chalybis præparatæ ʒj. Spec. Diarrhod. Abb. & Roſat. novellæ, ana ʒſs.

℥ß. Corall. r. præp. & C. C. uſt. præp. ana ℈j. Miſce & cum Syrupo de Eupator. fiat Electuar. juglandis quantitate mane, vacuo ventriculo devorandum. Etſi vero chalybs à macie totius corporis & Hæmorrhoidum fluxu prohiberi videatur, attamen ab eo nihil metuendum mali. Quodſi enim hæc mala diutius protrahantur, inſigneſq; obſtructiones in viſceribus ſuboriantur, id quod in Te factum, tam efficaci medicamento minime deſtitui debes & ſi quid in eo mali eſſe videtur, id à Saccharo Roſato corrigitur, ut tuto ſumi poſſit. Et hæc ſunt, quæ in caſu propoſito dicenda habeo, quæ Medici tui ordinarii maturo judicio lubens ſubmitto, Deum Archiatrum obnixe orans roganſq; ut omnia Tibi conſilia reddat ſalutaria. Vale.

Concil. LIX.

In Ramice, pro viro quodam reverendo.

RAmex, ſive Hernia, qua laboras, V. R. morbis in ſitu mutato annumeratur. Inteſtinum quippe natali & proprio ſuo loco excidit, in alienam ſedem devolutum. Hujus cum duæ ſint apud Practicos, præcipuæ ſpecies, illa quæ Te affligit, non Omenti, quantum viſu dignoſcere poſſum, ſed inteſtini ilei in inguina delapſu contigit, quæ à loco, quo hæret, peculiari nomine Bubonocele nominatur. Tumor iſthic

loci conſpicuus, modo increſcens, modo decreſcens modoetiam totus ſupino corporis decubitu evaneſcens, indolens, & cum murmure quodam intro recedens evidentiſſimum eſt hujus rei indicium. Malum hoc pueris maxime eſt familiare, humiditates, quibus abundant, unde à cauſis ob externis facilius etiam læduntur; rarius contingit in provectiore ætate, ob partes tunc temporis magis confirmatas & externis injuriis reſiſtentes. In illis cura facile ſuccedit, ſi debite tractentur, cum peritonæum mollius in iis exiſtens, facilius uniatur, quin & caloris nativi intus recondita aura atq; ſpiritus vivacior exiſtit, cujus merito citius convaleſcere ſolent. In his vero pertinax & curatu difficile eſt, imò ſi inveteratum ſit malum aut à rupto peritonæi proceſſu procedat, omnem ſæpe reſpuit medicam manum. In Te vero, R. V. ſpes quædam reſtitutionis affulget, quod imperfecta ſit Hernia tua in inguina ſaltem, nondum in ſcrotum prolapſa nec à rupto, ſed laxato ſaltem peritonæi proceſſu ortus ſui primordia deducens. Nec enim ſubito, ſed ſenſim accrevit. Quæ ſit infortunii hujus cauſa, que inteſtinum in inguen præcipitat, non plane conſtat. Videris mihi templi magnitudinem accuſare, quo conciones ſacras habenti vox Tibi intendenda, unde impetus in inferiorem abdominis regionem neceſſario accidit. Et hoc ipſum huic malo producendo ſatis eſſe poteſt, cum nulla alia cauſa violenta, quæ cognita, præceſſerit. Huic tamen recte forſan adjunxeris peritonæi

atq;

atq; inguinis debilitatem & humidam conſtitutionem, qua partes illæ laxari aptæ natæ ſunt, otii vitæq; ſedentariæ productus. Quod curam attinet, Inteſtinum prolapſum intra abdomen in ſuum locum eſt reducendum, & reductum à prolapſu impoſterum prohibendum. Illud facile abſolvitur. Solet enim Inteſtinum ſupino decubitu per ſe introcedere, ſi non multum ſit prolapſum aut flatu & excrementis refertum; imò digitis ſurſum pelli & comprimi poterit, ſi decubitu ſupino non evanuerit. Quod ſi ob flatuum copiam aut excrementorum infarctum reniteatur, injiciatur Ano Clyſter ex decocto carminativo paratus, & venter foveatur foliorum Lauri, Pulegii, Seminum Cumini, Fœnugræci, Lini, & ſimilium decocto, vel etiam aquæ dulcis Balneo. Vulgus fotu utitur ex ſola aqua calida addito Olei Chamæmeli portiuncula. Repoſito inteſtino humiditas relaxans & molliens vaginalem tnuicam exſiccetur, corroboretur & conſtringatur. Quod ut commode fiat, totius corporis primo habenda eſt ratio. Velim itaq; ut aſſumpta Manna in juſculo aut Prunorum decocto humorum evacuationem inſtituas, inſtituta ſimul victus ratione tenui, moderata & parca. Infarcto enim cibis ventriculo & inteſtinis nec reponi poteſt pars prolapſa nec intra corpus retineri. Cibi autem ſint ova ſorbilia, juſcula pullorum, Cremor. Hordei, Avenæ, & ejus generis alia. Vitanda omnia edulia flatulenta & multi excrementi, ut olera, piſa, caſeus, fumo

ſaleq; induratæ carnes. Et feriandum imprimis à concionandi munere, quod accuſare videris tanquam præcipuam hujus mali cauſam. His factis fove locum affectum vino rubro adſtringente in quo coctus ſit Muſcus quercinus ſuperimpoſito emplaſtro ſequenti. ℞ Emplaſtr. contra Rupt. *Fernel.* ℥vj. Limaturæ Carabæ, Lap. Magnet. ana ℥ij. Olei Vitel. ovi ℥j. Ceræ & Maſtich. ana q. ſ. Fiat Emplaſtr. tenax, applicando deſuper ſubligaculum in eam rem aptum. Intra vero aſſumere poteris Electuarium. ℞ Conſerv. Roſar. veter. ℥iij. Rad. Symphit. condit. ℥j. Boli Armen. Gum. Arab. Thuris, Radic. Sigilli Salom. Sem. Plantag. Portulac, ana ℥j. Syr. Myrtin. & de Roſ. ſicc. ana q. ſ. Miſce, fiat Elect. Si hoc diſplicuerit proderunt Radices Symphyti ſub Cineribus coctæ & adjecto Saccharo comeſtæ. Utilis quoq; Conſerva Radicum Polygonati ſeu ſigilli Salomonis. Hæc, Spero, Ramicem, quo laboras, facile ſanabunt, ut aliis non fuerit opus, ſi modo non interrupto filo in uſum adhibeantur, itaq; nihil addam, niſi vota mea in ſalutem tuam. Vale.

CONCIL. LX.

In Catarrho cum Tussi ad Phthisin inclinante, pro matrona quadam ad Medicum ejus.

MOrbi, qui à parentibus in natos hæreditario quodam jure propagantur, difficulter admodum, imò vix unquam admittunt medicam manum. Hoc à me in præsens adductum, ut morbi periculosissimi in Matrona pro qua consilium expetis, gravi Catarrho & inde molestissima Tussi laborante, cui antehac operam meam medicam pro virili, nec non propitio *Apolline* locavi, originem & primordia adferre possem, quæ cum pari affectu læsos ex suæ stirpis antecessoribus plurimos habuisset, nec ita pridem sororem, Matrem itidem dilectissimam paucis abhinc diebus à sanguinis sputo funesta Phthisi contabescentem, immatura morte abreptam lugeat, in ejusdem mali præsentissimo periculo versari videtur, hac præsertim autumnali tempestate, quam venerandus noster è Coo Senex constitutionibus hujusmodi pernicioſam esse pronunciavit. Habet illa à parentibus caput præhumidum & debile, nec non mollem, tenellam ac corruptioni paratam pulmonum substantiam, unde ab ipsis incunabulis vix à Cephalalgia & Catarrhis, à sacra Palladis arce in subjectas partes defluis,

defluis, ullo unquam tempore immunis extitit. Formavit præterea rerum Natura parens Matronæ huic Hepar intenſe fervidum, Ventriculum vero frigidum, quæ non tantum capiti materiam Catarrhi continuo ſubminiſtrabant, ſed & ſanguinem vitiarunt, unde Pulmones, quos in circulatione tranſit ſanguis, fervore & acrimonia ejus irritati, haud leve damnum ſuſtinent, inter malleum quaſi & incudem locati. Difficile eſt abſenti Medico gravibus & Saturninis hujuſmodi affectibus certi quicquam ſtatuere vel conſulere. Ut tamen amicorum petitioni morem geram, ſi meæ induſtriæ commiſſa eſſet, diverſioni & interceptioni humorum, à capite in pulmones ruentium, illico inſudarem per cauteria inio vel ſcapulis appoſita & ſuſpenſione labentis ichoris per emplaſtrum aliquod in eam rem aptum, ſuturis admovendum, præmiſſis tamen univerſalibus, ſi malum inducias dederit, ne materia in capite detenta alia inducantur ſymptomata, vel magna copia accumulata majori impetu in ſubjectas partes ruat. Non tamen ſolicitarem ægram Catharticis, etiam mediocribus, frequenter exhibitis. Caſſia immediate ante prandium devorata, idq; raro, meo quidem judicio, omne latura eſt punctum. Si quando noctu provocandus erit ſomnus, ſedanda Tuſſis & incraſſanda fluxio Diacodium ſeu Syrupus Papaveris albi ſufficiet in Emulſione vel Cremore Hordei aſſumendus, vel detur ℥j. Aluminis ex Hordeato addito Saccharo Roſato. Hoc medica-

dicamentum refrigerabit, ſomnum conciliabit & fluxionem inhibebit, quod plurimis non ſine ſucceſſu exhibui. Interim brodium radicibus Chinæ, Sarſæ, Tormentillæ, Tuſſilaginis, Raſura Cornu Cervini, additis fol. Pulmonariæ, Hiſſopi, Capillo Veneris & ſimilibus medicatum, mane & ſero aſſumptum multarum erit virium. Ala quoq; radicibus Chinæ, Tuſſilaginis, & Symphiti imprægnata, addito melle, ſingularis eſt, ſi pro potu ordinario adhibeatur. Interdiu vulgaria ad Tuſſim leniendam adhibeantur, Syrupus de Scabioſa ſimplex, de Eryſimo, de Hedera terreſtri, hac tamen cautione, ne ſint plura, quod Syrupi Pectorales, Tabulæ & Saccharata Ventriculo minus conveniunt. Poterint tamen orbiculi conflari, ex pulpa Radicis Altheæ, Tinctura Glycyrrhizæ cum Aqua Tuſſilaginis extracta, nec non lactis Sulphuris momento, exceptis Saccharo Criſtallino & ligatis Mucilagine Gummi Tragacanthæ ſatis liquida, aqua Roſarum fragrantiſſima extracta. His jungenda erit proba victus norma, qua neglecta vix quicquam proficiet ægra. Impoſterum quoq; de lactis Aſinini uſu cogitandum erit, ſi nihil obſtiterit, ut corpuſculum morbo exhauſtum reficiatur, ſi Deo viſum fuerit, qui curat omnes infirmitates noſtras & vitam de interitu redimere novit. Sed hæc ſufficiant, quæ ex amore potius & obſequendi ſtudio, quam quod neceſſe putarem, conſulere volui, Deum obnixe rogans, ut ſua benignitate remedia omnia fortunet & præpotenti ſua dextra ægram adjuvet. Vale. CON-

Concil. LXI.

In Myopia, ad virum quendam nobilem.

SI totam ampliſſimi mundi fabricam animo tuo quoquo verſum perluſtraveris, V. N. & quæcunq; in ſinu ejus recondita ſunt aut ambitu ejus cœliq; complexu continentur, libera ſolutaq; mente contemplaveris, *Jovis* omnia plena, miraculis cuncta referta, atq; in minimis quidem Numen invenies, omnibus vero in hominis ſtructura auguſtius quid deprehendes. Eo ſane nullum eſt inter miraculorum Iliada admirabilius, quod raritate & præſtantia ſua animum magis ſuſpenſum & attonitum reddat. Imprimis vero ut viſus in actione ſua, ſive rerum quas animo repreſentat, varietatem, ſive actionis modum omnium nobiliſſimum, ſive objecti particularis præſtantiam, actioniſq; certitudinem conſideres, mirabilis eſt; ita viſioni dicatum organum omnem ſuperat admirationem. Siquidem oculi, bina Microcoſmi lumina & velut fulgentia ſidera, quæ lucis uſu vitam à morte diſtinguunt, tot particulis, tanta induſtria fabrefacti ſunt, ut neſcio, an cum *Plotino* & *Syneſio* Naturam magnam appellare auſim, quod puſillo corpuſculo tam varii generis particulas, Tunicas, Muſculos, Humores; Nervos, Venas, Arterias, & alia concluſerit, ut *Plato*, Philoſophiæ Pater, & Divinioris Scien-

Scientiæ autor longe clariſſimus, oculum diviniſſimam æthereamq; partem; *Orpheus* vero animæ ſpeculum non ſine cauſa appellarint. Mirantur oculi, adamant, concupiſcunt, amoris, iræ, furoris, miſericordiæ, ultionis indices ſunt. In audacia proſiliunt, in reverentia ſubſident, in amore blandiuntur, in odio efferantur, gaudente animo hilares ſubrident, eodem mœrente langueſcunt, animo ira flagrante exaſparantur, in cura & cogitatione, quaſi cum mente ſimul intenti, quieſcunt. Quemadmodum vero oculi pluribus particulis conſarcinati fulgent, ita & præ aliis humani corporis partibus variis ac multiplicibus afficiuntur affectibus. Horum communiter, ni fallor, triginta octo à practicis recenſuntur, in quorum numero Myopia, quæ Tibi moleſta eſt, haud infimum locum obtinet. In hoc affectu, quo viſus non abolite, nec depravate, ſed diminute læditur, objecta non niſi propinqua & fere oculis admota cernuntur, diſſita vero minime vel ſaltem imperfecte videntur, ut Myopia laborantes vix prætereuntes agnoſcant aut ſalutent. Hanc *Galenus*, communis Medicorum Præceptor & Judex, fieri ſtatuit à paucitate & tenuitate Spiritus viſorii, qui non eget medii illuminati copia, ad perfecte viſionem faciendam, ſed ab ea diſſipatur; quemadmodum qui ſpiritus habent craſſos remota melius vident, quod ſpiritus ille craſſus majori indiget colluſtratione, quæ in majori medii illuminati copia reperitur. Hinc ſi Myopes multum vel diutius

lege-

legerint, exhausto spiritu tenuiore inter orcum & solem errant & cæcutiunt. Et hanc quidem *Galeni* Doctrinam maxima recentiorum pars, tanquam in Magistri verba jurati, uno omnes consensu amplectuntur. Quam recte ipsi viderint. Aliud mihi optica docere videtur. Consistere videndi facultatem in oculo seu pellucido humore illo, Crystallino dicto, ratum est apud omnes & in confesso, qui ut ab aqueo humore irrigatur, quem albugineum ab ovi albo vocant, ita vitreo quasi innatat atq; insertus est, ipsamq; pupillam, hoc est, aciem, qua cernimus, radianti fulgore illustrat, non secus, quam insignis ac lucida gemma annulum. Reliquæ partes omnes aut visionem conservant, aut præstantiorem reddunt, huic deniq; tanquam principi, quæ in oculo singulæ partes famulantur. Ex hujus humoris Crystallini situ diverso, dictas visionis diversitates emergere ex Opticæ theorematis aperte demonstratur. Cum enim species objectorum per Pyramidem recipiantur in Crystallino humore, ad quem conus Pyramidis protenditur, si Crystallinus ad interiora & versus pupillam magis verogat, objecta remotiora melius videt, quia ut conus Pyramadis ad Crystallinum perveniat & in eo terminetur, objecta remotiora esse necesse est. Si enim ad oculum magis accedat, conus Pyramidis Crystallinum transgreditur & objecta magis confusa percipiuntur. Contra vero si Crystallinus in profundo magis oculi situs est & ab uvea Tunica magis remotus, ob-

jecta

jecta debent oculis viciniora esse, ut conus Pyramidis ad eum accedere valeat, unde patet, Myopiam non aliter fieri, quam ex situ Crystallini profundiore atq; ita affectum hunc esse connaturalem neq; remediis aut arte superabilem. Affectus Myopiæ contrarius, in quo objecta remotiora melius videntur, Senibus plerumq; solet contingere, in quibus humor aqueus quadamtenus consumptus est, ut Crystallinus ad pupillam accedat. Hæc demonstrantur clarius usu specillorum, quæ vocant, seu ocularium, quibus, si ab ortu contractum sit malum, non potest esse præstantius remedium. Horum usui ut assuescas, autor Tibi sum, V. N. importunus. Debent autem ad oculum cava fieri & circumferentia densiora sive crassiora. Hæc tamen non sunt unius plane generis, sed prout humor Crystallinus minus vel magis à suo loco recessit; ita minus vel magis propinque oculo adhiberi & magis vel minus crassa esse debent. Qualia vero exacte comparanda sint, vix describi potest, sed experientia cognoscendum. Ab his radii specierum visibilium disperguntur, sicq; efficiunt, ut conus Pyramidis longius protendatur, atq; adeo res, quæ ob distantiam majorem à Myopis percipi nequit, postmodum percipiatur, protenso nimirum Pyramidis cono usq; ad Crystallinum, qui antea in pupilla vel humore aqueo seu albugineo desinebat. Senes contra juvantur specillis convexis, quibus radii uniuntur & conus Pyramidis abbreviatur, atq; ita res propin-

quæ

quæ melius cernuntur, quarum conus antea Cryſtallinum, pupillæ propiorem tranſgrediebatur. Atq; hæc eſt Idæa affectus, qui Tibi, meliori fortuna digno, moleſtias creat, qui ab ipſo ortu contractus medicam manum non admittit. Unicum & certum remedium animus æquus, omni Tibi ſtudio comparandus ex *Pacuvii* conſilio, Neq; inquit, tam terribilis ulla fando oratio eſt, neq; fors, neq; cœlitum invectum malum, quod non Natura humana patiendo ferat. Aurea ſane γνώμη, quam uſurpat quoq; *Romani* voluptas Theatri Muſarumq; deliciæ *Plautus* in Captivis, Dii immortales id voluerunt vos hanc ærumnam exſequi, decet id pati animo æquo; ſi id facitis levior labos erit. Humana hæc eſt calamitas, & humana omnia homini humane ferenda ſunt. Quia vero malum hoc, in ſe & ſua natura grave, à vaporibus è ventriculo & partibus inferioribus in oculos elatis, forſan etiam ab humoribus, in ſacra, quam Poetæ vocant, Palladis arce cumulatis, augetur & exacerbatur, proba victus vitæq; ratio inſtituenda & ſedulo obſervanda erit, ne videndi organum, quo nihil homini ab opifice opt' max' datum eſt præſtantius, ulteriori incommodo afficiatur & lædatur. Imprimis eligendus aër temperatus, vitandus Solis æſtus & radii Lunares, ventus quoq; *Auſtrinus*, nec non *Aquilionius*, quorum ille *Hippocratis* ſuffragio, caliginem obducit; hic vero oculos mordet. Nocet aër groſſus, udus & humidus atq; nitroſus. Lucidus itidem oculis reficiunt.

inimicus utpote ſpiritus diſſipans. Ferant hiſtoriæ, *Zenophanis* milites, nive peregrinantes, occœcatos fuiſſe. Viridia & cærulea viſum reficiunt. In cibo fugienda, quæ craſſum præbent alimentum, glutinoſum, vaporoſum, ſalſum, flatulentum, acre & excrementoſum. Talia ſunt tracta paſticia omnia & lagana vocata, legumina quoq; & in ſartagine frixa, carnes quoq; animalium vetuſtorum, cœpæ itidem porrum & quæcunq; gravi odore imbuta ſunt atq; halitu viroſo obvios feriunt atq; infeſta ſunt. Panis ſit levis, ex optimo tritico conflatus, ſeminibus Aniſi & Fœniculi medicatus. Prodeſt cibus concoctu facilis, ſuperfluis humiditatibus minime luxurians, è quorum cenſu ſunt pulli Gallinacei, Capones, Gallinæ, Perdices, Phaſiani, Pipiones, aves montanæ & ejus farinæ alia. Ferina, Porcina, aves paluſtres & piſces quoq; averſandi, quos Avicenna, Arabum coryphæus, cæcitatem inducere aſſerit, quod tamen de lacuſtribus & paluſtribus, non vero ſaxatilibus & pelagiis intelligendum puto. Ova tremula cum Sacchari & Cinamomi momento, viſum acuunt; frixa plurimum lædunt, quemadmodum & lacticinia. Aromata pleraq; ut Piper, Zingiber, Synapi quoq; oculis ſunt noxia. Attamen Cinamomum, Macis, & Nux Moſchata conceduntur, ſi modeſta manu porrigantur. Ex herbarum genere conducunt, Fœniculum, Salvia, Roſmarinus, Majorana, Betonica, Mentha, Thymus, Aſparagus, Pimpinella, Cichoreum, Euphraſia & Petro-

ſelinum. Arabes napum & rapam commendant, quia vero hæ radices bulboſæ, flatu turgent, Aniſi & Fœniculi ſemina adjicienda erunt. Omnes præterea fructus humidi viſui obſunt. Prunis tamen Damaſcenis ante paſtum, Pyris vero & Cydoniis à paſtu uti licet. His enim ventriculi orificium clauditur, & vaporum aſcenſus impeditur. Quam in rem conducunt etiam ſemina Aniſi & Fœniculi Saccharo incruſtata, mox à paſtu devorata; vel horum loco pulvis pepticus, aut Cidoniatum, vel Myrobalani conditi. Quod potum attinet, *Archigenes* Medicus in oculorum affectibus damnat potum multum & frequentem. *Ariſtoteles* vero, Naturæ genius & interpres, vult, quod Hydropotæ ſubtilis ſint viſus. Avicenna vero cum Rhaſe aquæ potum tanquam noxium rejiciunt, qua in re à bibulis laudantur, qui oculis malunt, quam vino carere. Commendatur Vinum & Cereviſia tenuis Euphraſitatis, cujus continuus uſus multos reſtituit viſu laborantes, etiam Senes, qui ocularium ope diu vix difficulter videbunt. Nec temere hæc herba in floribus characterem & ſignaturam oculorum à Natura impreſſam habet. Prodeſt etiam Conſerva ex iiſdem floribus confecta, & Sal in hunc modum compoſitus. ℞ Salis communis unciam, Euphragiæ drachmas duas. Cinamomi, Macis, ana drachmam dimidiam. Miſceantur & utere Salis loco cum cibo. Somnus ſit moderatus, vitetur diurnus. Vigiliæ oculis adverſæ: Exercitia tempeſtiva & modeſta juvant, intempeſtiva

ſtiva officiunt. Edaces animi curæ, lucubrationes & ſtudia improba, nec non *Venus* averſanda. Alvus indies officii ſui admonenda. Quod Pharmaciam attinet, Vere & Autumno purgatio per Pilulas ſine quibus & Lucis dictas conveniens erit. Tempore vero intermedio frequens ſit uſus Pilularum *Oribaſii*, de quibus *Macri* hi ſunt verſus in capite de Aloe:

Illius geminas cum mulſa ſumere drachmas
Idem præcepit; choleram ſic phlegmaq; purgat,
Una quaq; die poſt cœnam ſumere dixit,
Utile tres ejus Pilulas binaſve recentes
Cum ſucco caulis formatas ut faba groſſas
Aut Cicer, humores nocuos cum ſtercore purgat,
Non corrumpendo ſtomachum neq; vim faciendo,
Purgatus fuerit Pilulis qui ſæpius iſtis,
Vix unquam capitis vexabitur ille dolore
Et nihil eſt oculis, mihi crede, ſalubrius iſtis.

Sed de his ſatis ſuperq;. Tu hæc qualiacunq; bono animo accipias mihiq; favere pergas. Vale.

CONCIL. LXII.

In flatu Hypochondriaco cum Colica & Hæmorrhoidum fluxu.

CItra proœmium. Affectus, cujus tyrannide imò pectore ingemiſcis, ad flatum Hypochondriacum à loco, in quo tragœdiæ ejus efferveſcunt, eſt referendus. Ejus ſoboles quædam eſt Colica & interpolatus Hæmorrhoidum

fluxus multum Tibi moleſtus. Hic natalis ortus ſui primordia derivat ab inæquali intemperie & ἀνωμαλίᾳ viſcerum nutritioni ancillantium. Formavit Tibi rerum Natura parens, induſtrius alioquin humani corporis opifex, hepar juſto fervidius & ventriculum frigidiorem, unde totius fundi calamitas. Horum membrorum contraria diſpoſitione maxima humorum aduſtorum & tartareorum copia colligitur in Meſenterio & prima corporis regione, quæ ſatis eſt cum Hypochondriacæ affectioni, tum inde natis Colicæ & ſanguinis ex ani venis profluvio generandis. Dum enim ſanguis Hepatis fervore calidior redditus, multo etiam tartaro imprægnatus, acrimonia ſua facultatem expultricem ſtimulat, accidit, ut reſeratis venarum Hæmorrhoidalium oſculis, ſanguis profluat, natura rebus ſuis conſulente, non quidem externis Hæmorrhoidibus, ſed internis, quæ è ramo ſplenico venæ portæ oriuntur, & per Meſenterium circa colon & inteſtinum rectum extenſæ terminantur in muſculis ani & interiore inteſtino. Quodſi vero humores in prima regione & meſaraicis venis ſtagnantes inde in inteſtinorum tunicas amandentur, quas penitus imbuunt & tartareo ſalinove ſuo acumine lancinant, horrendos cient Colicos cruciatus, quales ne Titius quidem amator perpeſſus eſt, cum Vultures apud inferos Jecur ejus divellerent. Præcalidi ſunt humores iſti, quos ſi pituitoſa quædam colluvies, qualem obſervaſti in excrementis tuis, aliquando comitetur, non in

iſta

iſta blenna & flatibus tumultuantibus, quaſi traherent á qualitate frigida originem, quærenda eſt mali natura, ſed in ſpiritibus igneis, qui diverſimode invicem occurrentes & mixti, ſæviorem tempeſtatem excitant, quam iners flatus, quos calor debilis agens in materiam viſcidam movere ſolet. Materia hæc interdum cerebrum petit & morbum comitialem inducit. Interdum etiam vi naturæ, ad inteſtinum hoſtem expellendum inſurgentis, ichor iſte corrodens in ſpinæ nervos rejicitur, & tum prout eſt ἀνάῤῥοωϑ aut κατάῤῥοωϑ, pro varietate cauſæ morbificæ, partes vel ſuperiores vel inferiores convelluntur, contrahuntur aut reſolvuntur, donec vel natura vel arte ſuperatus humor aut conſumatur aut bonis ægri rebus ſuccedente aliqua evacuatione eliminetur. Et hanc puto eſſe Idæam morbi, cujus crudelibus tormentis confici ſoles. Curationis hic eſt ordo paucis abſolvendus. Efferveſcente doloris æſtu ad clyſteres illico confugiendum. Etſi vero Ruffus cum aliis damnat clyſteres & enemata in ventris doloribus, eo quod inteſtina magis diſtendant & horum loco glandes, ſive ſuppoſitoria ſuadent, id tamen in aliquibus ſaltem individuis admittendum, in quibus alvi fæces non ſunt induratæ & inteſtinis adhærent. Alii vero haud infimi ſubſellii practici & inter eos *Hippocrates*, Medicorum coryphæus, non ſolum clyſteres, ſed ipſum etiam flatum arte per follem in inteſtina intromiſſum mitigare dolores & ventris tormina ſunt ex-

perti. Hoc enim remedio alvus torpida ſolicitatur & ſcyvala adhæſu tenaciſſima ab ipſis inteſtinis vel hæc ab illis divelluntur, quæ poſtea Natura expellere potis eſt. Poteris primo ſuppoſitorum vim experiri, quæ ſi Nihil profecerint, tentanda res Enemate injecto. Illud confici poterit ex mellis crudi cocti uncia, cui immiſceri poterit trochiſcorum alhandal dictorum ſemiſcrupulus, nec non ſalis gemmæ drachma dimidia & olei ceræ guttulæ ſex. In clyſteribus vitanda multorum ſimplicium farrago. Sufficit ſimplici aliquo ex ſolo lacte parato, adjecto Saccharo, uti, in quo vel flores Camomillæ vel Veronica ſit cocta. Calida illis incocta exagitare flatus longa experientia obſervatum, unde ingraveſcit dolor; anodynis potius, ex quoram cenſu Lac haud poſtrems ſibi partes vendicat, mitigandus. Nec male feceris, ſi huic lacticino Enemati tantillum butyri recentis adjeceris, ut alvus magis lubricetur, ne pinguium penuria ſiſtatur & ſic dolores augeantur. Mihi familiare eſt ſæviente dolorum carnificina ſtatim clyſterem talem injicere, vel qui ex vino Canarino & oleo Juglandum expreſſo ſit paratu[8]. Hi tamdiu continuandi, donec inquilinus hoſtis victas det manus. Doloribus urgentibus à purgantibus per os aſſumptis abſtinendum duco, quæ raro votis reſpondent, niſi prius dolores mitigati fuerint. Poterit tamen propinari Manna ad uncias duas in vino vel juſculo aliquo diluta, addita ſequiuncia olei Amigdalarum dulcium recenter ſine igne extracti,

tracti, quo ad miraculum uſq; dolores Colicos pacatos vidi. Interim ſpecificis quoq; litandum, in quorum numero primas facile tenet drachma una membranulæ aut tunicæ illius luteæ ſubamaræ, quæ nucleum nucum juglandium arctiſſime inveſtit in pulvere ex aqua florum Camomillæ propinata, vel hujus loco pulvis lutei aurantiorum eadem doſi exhibitus. Extra avena cum ſale toſta ſacculo impoſita levamen dare ſolet, niſi inteſtina ſcybalis ſint referta. Panis cui ſemen Carui permiſtum ex furno calide ventri applicatus, nec non omentum vervecis calide impoſitum plurimum valet. Sed hæc ſufficiant pro tempore. Opportuna anni tempeſtate de curando affectu Hypochondriaco cogitandum erit. Interea his fruere in commodum tuum & pancratice vale.

Concil. LXIII.

In Veneris ignavia pro viro quodam ornatiſſimo.

ARiſtoteles, ingens illud Naturæ lumen & Philoſophorum omnium maximus, nihil æque in hac noſtra vitæ quaſi fabula, ad hominis felicitatem conducere arbitratur, quam ex optima conjuge multam prolem ſuſcipere, quo liberis & ingenuis hominibus Reſpublica abundare poſſit. Quod unum non tam conſervandæ Republicæ, quam hominum ſaluti &

immortalitati, nova ſemper propagine renaſcenti, ſatis facere videtur. Quam ob rem omnium operum maxime ſecundum naturam eſſe ſibi ſimilem generare, idem ipſe naturæ Genius literis teſtatum reliquit, Quid enim hominis, totius mundi miraculi & expreſſiſſimi Dei opt' max' ſimulacri, Naturæ congruentius dici excogitariq; poteſt, quam ſuam ipſius naturam ab interitu vindicare? Cui rei implendæ optimam Tibi elegiſti conjugem, cum forma, tum moribus aliiſq; animi eximiis dotibus ſpectandam, ex qua cum pulchram prolem ſuſcipere aveas, conſilium ad id rei de me jure optimo poſtulaſti, rationemq; qua id arte, quod maxime in votis eſt, conſequi poſſis. Qua in re lubens tua juſſa capeſſam, etſi parum me præſtare poſſe & quam mihi ſit curta ſuppellex, non ſim neſcius, quod grandes materias, ut cum *Hieronymo* loquar, parva ingenia non ſuſtineant. Conquereris de Veneris ignavia, priapi in celebrando hymæno ſubita detumeſcentia, partium genitalium, teſtium puta & ſcroti frigiditate, dorſi quadam debilitate tremori juncta, albidæ tandem materiæ cujuſdam, nunc tenuioris, nunc craſſioris, a mictu, nec non ab equatione, interdum cum urina, interdum per ſeſe abſq; ea, profuſione. Hæc, ni fallor, ſunt, de quibus, proh dolor! es querulus, mala. Quæ quidem omnia ut rem paucis abſolvam, à ſpirituum vitalium penuria & organorum debilitate ortus ſui primordia derivare videntur. Cum enim ſemen in vaſis turgere & moveri,

atq;

atq; exitum quærere incipit, & à Natura ad excretionem ſtimulatur, ea ſpiritum vitalem ad membrum genitale mittit, unde fungoſa & poroſa penis ſubſtantia repleta turgeſcit atq; diſtenditur. Hunc minori, quam par eſt, copia in penem influere judico, non ob cordis vitium aliquod, cujus nulla ſe produnt ſigna, ſed partim ob teſtium vaſorumq; ſeminalium frigidam humidam intemperiem & debilitatem conjunctam, cujus manifeſtum inditium præbent ſcroti ac glandis frigiditas & ſeminis inconcocti profluvium; partim ob eorundem ſpirituum à partibus generationi dicatis avocationem, unde nec titillationis nec ſeminis ſtimuli ſenſus. Quo ipſo malum in ſe grave longe deterius redditur, nec ſcio an aliud quid magis impediat Veneris exercitium, quodq; magis imbellem reddat, quam edaces animi curæ, ſolicitudines, triſtitiæ, mœrores atq; ejus generis & farinæ alia animi pathemata, quibus indulges. Sed neq; hoc prætereundum, cujus Aëtius eſt autor, nempe, quod pingues & obœſi indonei ſunt ſub Veneris vexillo militare. Etſi vero hac malum ſpeciei potius propagationi, quam individuo noxam inferat, niſi inde Gonorrhœa, quod ſæpe fieri ſolet excitetur, unde corporis extenuatio & tabes; attamen ob rationes ſupra allegatas cujuſq; eſt ſeſe ab hoc malo, ſi fieri poſſit, vindicare. Id vero Chyrurgia, Pharmacia, & proba victus ratione, ex artis lege inſtituta, conſequi poteris. Sed hæc non ſunt hujus tempeſtatis æſtivo

ſol-

ſolſtitio proximæ, in qua efficacius purgare, ſanguinem mittere & alia inſtituere non licet. Cum vero evacuatione opus ſit in omnibus affectibus, in quibus præter qualitates adeſt etiam aliqua præter naturam materia, & ventriculus tuus cruditatibus abundet, valetudini tuæ optime conſultum putarim, ſi ſemel vel bis in ſeptimana mox ante levem cœnam devoraveris Pilularum Maſtichinarum & Aromaticarum, invicem permiſtarum, ſcrupulos duos. Autumni vero tempore de exquiſita corporis evacuatione cogitandum erit & aliis. Interim ad partium generationi deſtinatarum intemperiem corrigendam, & humiditates exſiccandas, atq; vaſa genitalia corroboranda egregie conducturum ſpero ſequentem potum. ℞ Ligni Guajaci ℥ij. Corticum ejuſdem ℥ß. Ligni Lentiſcini, & radicum Saſſafras, ana ℥ß. Rad. Eryngii ℥vj. Rad. Cynoſorchidis ℥ß. Raſuræ Eboris ℥j. Herbarum Majoranæ, & Betonicæ, ana p. ij. Semin. Fœniculi, Erucæ, Urticæ, ana ℥ij. Cinamomi ℥j. Fiat omnium decoctio in vini albi & aquæ fontanæ, ana ℔ij. in vaſe duplici per horas ſex cum colatura. Hujus decocti fervefacti cape uncias quatuor mane jejuno ventriculo & quarta pomeridiana cum duarum horarum jejunio. Quod ſi præterea ſomni hora juglandis quantitatem Electuarii Diaſatyrii devorare placuerit, nullus dubito, quin adſpirante divino Numine plurimum inde commodi ſis percepturus. Hæc quoad interna pro tempore ſufficiant. Quod topica attinet, foveatur

atur ſcrotum & partes vicinæ, decocto Betonicæ, Majoranæ, Calaminthæ, Roriſmarini, Salviæ, Chamæpyteos, additis ſeminibus Aniſi, Erucæ, Dauci, Urticæ, in vino generoſo facto, mane & veſperi in uſum adhibendo, mox affricando Unguentum ex olei Coſtini & de Nuce moſchata partibus æqualibus & quarta Olei de Euphorbio, adjecto Zibeto, quod vel ſolum illitum Teſtes potenter calefacit. His adjicienda proba victus ratio, qua neglecta irrita erunt efficaciſſima quævis remedia, quæ vel ſola magni in corporis diſcraſia emendanda momenti eſt. Ea ad moderatam caliditatem vergat. Talis etiam ſit Aër. Teſtes imprimis ab aëris externi injuriis, pannis, pellibus, aliiſq; tegumentis ſedulo defendantur. Cibi ſint boni ſucci & multi nutrimenti, minime excrementoſi, moderate calidi. Si fieri poſſit, ſint medicamentoſi & teſtibus vaſiſq; ſpermaticis familiares, quales ſunt Fœniculum, Anethum, Apium, Bulbi, Cæpe, radices Napi, virides potius, quam ſiccæ. Hæ enim plus, quam oportet, calefaciunt & ſiccant. Corpus moderate exerceatur. Fugienda animi pathemata, cogitationes, & meditationes improbæ. Nimis longum foret ſingulas diætæ minutias recenſere. Hæc igitur in genere dicta ſufficiant. Faxit Deus, ut omnia cedant in commodum tuum uberrimum, & horum remediorum uſu ſtrenuus in caſtris Veneris evadas miles. Vale.

CONCIL.

Concil. LXIV.

In potu aquarum Thermalium, ad reverendiſſimum quendam Doctorem.

SI totam ampliſſimi mundi fabricam animo tuo quoquo verſum perluſtraveris, & quæcunq; in ſinu ejus recondita ſunt, aut ambitu ejus cœliq; complexu continentur, libera ſolutaq; mente contemplaveris, *Jovis* omni plena, miraculis cuncta referta, & in minimis quidem Numen quoq; invenies. Inter alia infinita miræ ſunt aquæ calidæ & ἀυτοφυεῖς, eodem & indeſinenti calore quovis anni tempore è terræ viſceribus ſcaturientes, quas *Græci* τὰ θερμὰ à θερμὸς, calidus; *Latini* vero Thermas, ſive aquas Thermales nominant, non tantum quod calefaciant, ſed & quia per ſe & ſua natura calida proſiliant. Harum quoad calorem magna eſt differentia, Aliæ enim tepidæ ſaltem ſunt, nonnullæ calidiores, quædam etiam à prima ex monte ſcaturigine tanto emanant fervore, ut capones, porcellos integros, quadrupedum pedes, quovis pſilothro ocyus deplument & depilent atq; omnino glabras reddant. De fervoris tanti cauſa variæ ſunt & perplexæ Philoſophorum opiniones, ut tot fere ſint ſenſus, quot capita. Sunt qui eas in ſuo ortu calidas eſſe, alii eas in cuniculis ſuis, hydrophylaciis dictis, incaleſcere contendunt, quod vero magis

gis consentaneum esse videtur. *Thesmophylus*, Philosophus antiquus, eas à radiorum solarium, per leve, rarum & molle solum penetrantium, refractione; Mileus à vento, in subterraneis cavernis concluso, & per antiperistasin agitato, rarefacto, atq; supra cuniculos inflammato; *Democritus*, quem *Abdera Thraciæ* protulit, à cinere & calce fervorem accipere volunt. Alii aquas propter varium & vehementem motum saxis illisas incalescere putant. Non pauci materiam, per quam fluunt, aquas calefacere statuunt, atq; ideo calidas quasdam sulphuris virus olere, quod ex venis sulphureis emanent. Quidam etiam intra terram in iis locis, quæ aquis calidis scaturiunt, maximum inesse calorem ajunt, ipsumq; esse fervoris earum causam. Hunc calorem Doct. *Jordanus*, ni fallor, à metallorum in suis generationibus fermentatione, ad quam actualis calor, cum humiditate quadam requiritur, natalitia sua derivare opinatur. Nec desunt qui fulmen aquas calefacere affirment, ut videre est apud *Manilium* dicentem.

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Hæc penetrant terras, Æthnamq; imitantur Olympo.
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas.

Chymici tandem aquas à diversorum salium vel etiam mineralium corporum mutuo inter se

ſe contactu & pugna incaleſcere volunt, pari ſcil. modo, quo in conjunctione ſpiritus Vitrioli & Olei vel Salis Tartari, tanquam duorum ignium, vitrum adeo incandeſcit & effervescit,

Ut multo accenſis fervore exuberat undis,
Clauſus ubi exuſto liquor indignatur aheno.

Inter tot diſcrepantes ſententias cum plus una vera eſſe nequeat, rectius mihi ſentire videtur *Ariſtoteles*, ſummus ille Naturæ ſpeculator, qui *Empedoclem*, Philoſophum *Agrigentinum*, *Pythagoræ* Diſcipulum, ſecutus, cum vidiſſet aquas Thermales eſſe admodum ferventes, eas non niſi à cauſa validiſſima & ferventiſſima tales reddi poſſe putavit, quod omnes aquæ natura ſua ſint frigidiſſimæ; talem vero non eſſe aliam cenſuit, quam ignem in ſubterraneis telluris partibus concluſum atq; in viſceribus ejus primogenia quadam ratione reſidentem, de quo *Lucretius* ſic cecinit,

Principio tellus habet in corpora prima,
Unde mare immenſum, volventes flumina fontes
Aſſidue revomunt, habet ignes unde oriantur,
Nam multis ſuccenſa locis ardent ſola terræ.

Quod vero ignis ſub tellure exiſtat, præter aquas ferventes ex eo ſcaturientes, fidem faciunt cinis, calx, pumices, & ejus farinæ alia, quæ evomuntur effodiunturq; è terra, quæ

ſunt

ſunt genuini ignis effectus. Ut nihil dicam de fumo & fuligine è terra erumpentibus, imò & pluribus locis ignem ipſum eructantibus. Ignis itaq; ſubterraneus, quem *Kircherus* Pyrophylacia vocat, veriſſima eſt fervoris aquarum cauſa. Dum enim ſcaturigines aquarum in montibus per metallorum venas & ſinuoſos anfractus, inſtar draconum & miliarium in balneis veterum ex ære ſpiris intortos, Meandri in morem deferuntur, ac inde metallorum vires & detrimenta, quibus aqua imbuitur, avellunt, ab igne naturali, anfractibus illis ſubſtrato & ſubterraneo, non aliter ac ſubditis flammis aquæ in Olla, incaleſcunt. Atq; hic ſubterraneus in terræ latebris reconditus ignis, cujus æſtu Thermæ fervent, divino plane & perenni modo fovetur, tanquam alimento, Bitumine potiſſimum & Sulphure atq; Oleis, ut *Plutarchus* Polyhiſtor teſtatur. Hinc Thermæ vocantur ſacræ, non tam quod iis cœlitus à calore æthereo vires illabantur; ſed quia Sulphure omnes fere abundant, quo veteres ad piacula expianda utebantur, unde & *Græcis* dicitur θεῖον. Quæcunq; enim Olei aut Bituminis & Sulphuris unguine ſunt delita ignem facile concipiunt. Humidum ſiquidem pingue, Philoſophorum ſuffragio, genuinum eſt ignis pabulum. Et in altiſſimis *Norwegiæ*, Sueciæ & cum primis Iſlandiæ tribus montibus, Olai Magni, Epiſcopi *Upſalenſis* teſtimonio, qui opus edidit de ſeptentrionalibus gentibus, ſub aquilonari Arcto ſitis, quorum cacumina nive perpe-

perpetuo albicant, radices vero perenni æstu ant incendio, idem videre est, quorum montium præcipuus *Hecla* dicitur, Sulphur evomens, circa cujus fauces dæmones visibiles habitacula, nocturna flamma coruſca habere testatur oculatus testis; alii umbras manesq; male defunctorum ibidem apparere aiunt. Ut nihil dicam de *Ætna*, *Siciliæ* Monte, *Ineſia* olim appellato, è quo non ita pridem materia quædam Bituminosa & Sulphurea concepta flamma, igniti instar torrentis per multa milliaria, non sine summo incolarum timore, terrore & attonitu profluxit. Idem videre est in *Vesuvio*, *Campaniæ* Monte, cujus sumis, cum causam incendii exploraturus propius accederet, suffocatus dicitur *Plinius* secundus, *Veronenſis*, qui temporibus *Vespaſiani* vixit, His nempe terra in ipsis penetralibus fæcunda est & passim scaturit; & facile esset complura in orbe terrarum loca in medium proferre, quæ Sulphuris & Picis fuligine & Bituminis liquore continuo madent. Sed neminem esse puto in Naturæ operibus adeo rudem & peregrinum, qui nesciat terræ penetralia his alimentorum ignis adeo esse referta, ut ea, quantumvis magnus ignis, in perpetuum insumere & decoquere non possit, nisi in postremo die, cum totus mundus ignis incendio colliqueſcet. Id quod divus *Petrus* Apostolus conceptis verbis pie nos docet, Veniet, inquit, dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli in morem procellæ transibunt, elementa vero æstuantia solventur, terraq; &

quæ

quæ in ea ſunt opera, exurentur. Quod vero ignis perpetuo conſervatur & pabulum ejus non deficit, id ideo contingit, quia perpetuo generatur, & cum perpetuo generetur, perpetuo ignem alit, excitandum ſaltem flatulento aquarum torrentis inſtar per metallorum venas motu, quem *Theophraſtus*, *Ariſtotelis* diſcipulus, & ſucceſſor, ex *Ereſſo*, *Lesbi* Civitate, oriundus, πνεῦμα appellat. Cæterum Thermæ antiquis ſolum ad delicias primo, luxus & voluptates atq; corpora à ſordibus abluenda in uſu erant, poſtea vero ad curandos etiam morbos in Medicinam ſunt introductæ, idq; non tantum externe, corporis ſcil. in eas immerſione, fotu, embrocatione & cataclyſmo, lutorum quoq; applicatione; ſed & interne pro potu. Quis vero eas primus in uſum medicum adhibuerit, de eo non magis conſtat, quam de *Nili* origine. Nec multum refert. Legimus ſaltem apud *Strabonem*, *Cretenſem* Philoſophum & Geographum excellentiſſimum, eas *Auguſti Cæſaris* tempore, quo ſeculo, aureo ſane, optimi vigebant Medici, à veteribus in potum accitas fuiſſe. Quin & *Galenus*, Medicorum Præceptor & Judex fideliſſimus, qui vixit ſub *Marco Aurelio Antonino*, *Commodo*, *Lucio*, & *Severo*, *Cæſaribus*, teſtatur, quod ſuo tempore inventæ erant aquæ bituminiſæ & nitroſæ, quæ pro potu ad purganda corpora propinabantur. Et *Scribonius Largus*, *Galeno* antiquior, in veſicæ ulceribus exhibebat aquam in potu, in qua pluries extinctum erat can-

dens ferrum; & hoc se feciſſe dicit ad imitationem aquarum ferratarum in *Tuſcia*, in agro *Milonis Gracchi* ſcaturientium, quæ in potum veniebant. Ex quibus abunde patet, perveterem eſſe potus aquarum Thermalium memoriam, non novum aliquod *Arabum*, ut nonnulli volunt, multo minus hodie demum aut nudius tertius natum Neotericorum inventum. Notandum ſaltem, quod non omnes promiſcue ſunt potabiles, quædam enim ſunt venenoſæ & internecivæ. Omnes in univerſum aquæ, quæ in ſe habent noxium aliquod metallum, ad potum prorſus ſunt ineptæ. Tales ſunt Plumbeæ, Hydrargyro mixtæ; æreæ quoq; quibus raro non ineſt aliquid æruginis aut chryſocollæ & ſimilium. Nocent etiam ob nimiam frigiditatem gypſeæ. Nec tutæ ſunt, quæ in ſe habent Bitumen liquidum aut Sulphur nullo alio metallo permiſtum. Ventriculum enim evertunt, eumq; cum inteſtinis immodice relaxunt & effœminant. Aptæ è contra ſunt Nitroſæ & Salſæ, maturo judicio propinatæ, quæ calefaciunt, purgant, ſiccant & roborant: ut & Vitriolatæ quæ ferri mineram præterfluentes lambunt, Stomacho, Lieni, Hepati, Renibus & Veſicæ proficuæ; nec non Aluminoſæ, quæ ad Hæmoptoſin, & alios fluxus ſanguineos ſiſtendos, relaxatum quoq; ventriculum & reliqua viſcera, quæ tranſeunt, corroboranda egregie ſunt aptæ natæ. Cum itaq; aquas Thermales bibere in animo habeas, id quod Tibi felix fauſtumq; eſſe velit Deus ter opt°

opt' max' perennis vivarum aquarum fons & ſcaturgio, diligenter conſiderandum, an Tibi & quales conveniant, ut iis commodo tuo indulgeas. Id quod Medicorum nonnulli, ruri cumprimis inter raſtra Medicinam facientes, parum perpendunt, qui poſtquam ægros magno & ſumptuoſo medicamentorum apparatu longo tempore, & aliquando præter rationem defatigarunt, cum vident, res ſibi ex voto uon ſuccedere, nulla conſideratione habita, relegant miſeros ægros ad aquas Thermales tanquam ad ſacram anchoram, non conſiderantes antea, an aquæ conveniant, nec ne. Imo plurimi ignorant, quæ ſit aquarum natura, quæ morbi indoles & ingenium. Sed non temere & ſine maturo judicio his aquis indulgendum. Sunt enim efficaciſſimum & potentiſſimum remedium ad profligandos graviſſimos morbos à Deo conceſſum, *Plutarchi* teſtimonio, ſi dextra manu porrigantur, id quod Poëta his verſibus perbelle exprimit;

Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præſens numen, inempta ſalus,
Amiſſum reparant lymphis impune vigorem,
Pacaturq; ægro luxuriante dolor.

Quodſi vero ſiniſtre adhibeantur, mille procurant mala, imò lethum ſæpe accelerant. Hinc *Hippocrates*, Medicorum coryphæus, harum aquarum potum, ut quæ metallorum virus reſipiant & urinæ ardorem proritent, non

ſine cauſa vetat. *Avicenna* quoq; *Arabum* princeps, omnes aquas, ſubſtantiæ metallorum commixtas, inſalubres eſſe fatetur. Sed hoc ævo experientia, rerum magiſtra, docuit Practicos, nonnullas harum aquarum pro potu medicinali propinatas, ægris multum profuiſſe, quin & corporibus plus commodi, quam earum lavacra attuliſſe. Id quod Practici in *Italia*, aquarum Thermalium fœcundiſſima, præ aliis longo uſu experti ſunt, qui eas ad curandos varios morbos, alioquin incurabiles, frequenter atq; fauſto quidem *Apollinis Numine*, ægris propinant. Quod itaq; *Anglicas* attinet, à *Britannorum* Rege *Bladud*, Prophetæ *Eliæ*, ut ferunt, contemporaneo, inventas in Comitatu *Somerſet*, inter *Iſcalim* & *Ventam*, in Urbe à lavando *Bathonia* dicta, ſponte ſua ſcaturientes, in ciſternas, pavimento ex latis & levigatis lapidibus conſtrato & parietibus iiſdem munitis, collectas, adjunctis ad angulos apodyteriis parvulis quidem ſed in rem accomodatiſſimis, eas Dr. *Turnerus*, qui de ipſis ſcripſit, ſulphure & cupro permixtas; *Jordanus* vero & *Vennerus*, practici *Bathonienſes*, Sulphure cum Nitro & Bitumine imprægnatas eſſe volunt, quorum hic eas à prædominio ſulphureas, ille vero Bituminoſas eſſe judicat; quibus ego, quod pace tantorum virorum dixerim, aſſentiri nequeo. Nullum habent Sulphuris, nullum Bituminis vel ſaporem vel odorem. Aquarum præterea ſuperficies neq; unctuoſa, neq; oculis apparet Bitumen ſupernatans.

Quodſi

Quodſi eas per alembicum vitreum deſtillaveris ad ſiccitatem uſq; ne veſtigium quidem Sulphuris aut Bituminis, ſed Alcali quoddam invenies, quemadmodum etiam in canalibus, quibus aquæ è ciſternæ exonerantur, in quibus intus ſal quoddam in criſtallos concretum, adhæret, quod linguam acri quodam & adſtringente ſapore ocyus permeat. Hoc ego Nitri quandam ſpeciem eſſe duco, quo terra in multis locis luxuriat, Vitrioli portiuncula permiſtam, quod guſtu percipitur. Hinc lac coagulant, quod non eſt Bituminis, imò ut mihi nonnulli, qui iis pro Pharmaco potabili uſi ſunt, retulerunt, excrementa quodammodo ex viridi nigro colore tingunt, de quo tamen non certo conſtat. Quod earum vires attinet, calefaciunt, ſiccant, purgant, vehementer tergunt, incidunt, digerunt & egregie corroborant. Proſunt igitur in omnibus affectibus frigidis, & pituitoſis, & humores non tantum frigidos, ſed & mixtos evacuant è partibus, quas tranſeunt: imprimis vero ventriculum refrigeratum calefaciunt, & exſiccata redundante ejus humiditate roborant, ut cibum aptius amplectatur & conſequenter felicius concoquat; Hepatis & Lienis obſtructiones egregie reſerant; renes & veſicam ab arenulis & tartarea Mucilagine abſtergunt atq; omnia membra naturalia firmant, iiſq; robur addunt. In hos itaq; fines, in ipſo ætatis tuæ flore conſtitutus, cum vires tuæ ſint validæ & vivax in corpore tuo recondita ſit caloris nativi aura,

non ſine commodo tuo aquis Thermalibus uti poteris. Nec obſtat Hepatis tui & Renum fervor. Nam aquæ hæ non tam intenſam habent caliditatem, ut caloris veſtigium in viſceribus reliniquant, dummodo facile aut per alvum aut urinam reddantur. Quin & cum eximia attenuandi, detergendi & abluendi vi polleant, obſtructiones efficaciter reſerant, quibus apertis, facile diffiatur corpus, & ſi quid caloris contractum, id facile exhalat. Poteris tamen in hujus metu Hepatis & Renum regionem Unguento Roſaceo, infrigidante *Galeni* aut Cerato Santalino & ſimilibus munire. Eas autem in potum commodiſſime adhibebis, cum *Favonius* genitali veris aura ſpirat, quod tempus ad Thermarum uſum & delicias ſaluberrimum, quia maxime temperatum. Eliges etiam locum minime pluvioſum, nimis frigidum & calidum, ventoſum, paludoſum, craſſum. Cæterum ante aquarum potum removenda omnis plenitudo & corpus bis vel ter vel pluries, ſi opus fuerit, ab omni humorum ſaburra ſedulo eluendum, ut aperiantur viæ & educantur craſſæ materiæ in eodem congeſtæ. Thermæ enim, niſi bene purgatum fuerit corpus, fundunt & exagitant, ſi abundent, excrementa. Dum vero potui indulges, mane Jejuno ventriculo omni ingenio elaborandum, ut per motum temperatum non tantum corporis vires ſuſcitentur, ſed & excrementa tum per alvum, tum per veſicam exonerentur. Exercitium tamen ſit lene & moderatum, ne corpus incaleſcat. A levi enim

motu

motu viſcera leviter incaleſcunt, atq; ita validius attrahitur aquarum facultas, & viſcera robuſtiora melius eas expellunt. Non bibendæ autem ſunt aquæ continuata ſerie, atq; una vice, inſtar *Tricongii Mediolanenſis*, qui, *Plinio* autore, tres congios, unde cognomen ei fuit, epotavit uno impetu, ſpectante miraculi gratia *Tiberio* Principe; Sic enim diſtenditur ventriculus, & moleſtia afficitur, ut aqua vel ſubſiſtat vel per vomitum rejiciatur. Nec plenis hauſtibus majoribus, ſed ſenſim portio quotidiana, in tres vel quatuor partes diviſa abſolvatur, quarum unam ſingulis horæ quadrantibus aſſumere poteris, ut pedetentim aquæ diſtributio fieri queat, & prior ventriculum tranſierit, antequam alia aſſumatur, inter pocula hinc inde leviter obambulando, donec ſumma doſis abſoluta fuerit, quod fiat unius horæ ſpatio vel ad ſummum unius cum dimidia. Quod attinet bibendarum aquarum quantitatem, incipias velim à minori ſenſim ad majorem aſcendendo, ſiquidem ſubitaneæ mutationes periculoſæ, ſi præſertim à validis medicamentis fiant. Auſpicare itaq; potum Thermalium aquarum tribus libris, ſive ſex poculis; ſequentibus diebus doſin unico poculo augendo, uſq; dum libras ſex compleveris, quam doſin per triduum aut quatriduum continuare poteris ac deinde ſenſim à ſumma doſi deſcendere. Et ſolent Medici aliquid iis quandoq; permiſcere habito partium affectarum reſpectu. Hora prandii incerta. Quodſi vero tribus aut quatuor ab aſſum-

pta aqua horis eadem earum vel paulo minor quantitas excreta fuerit, mutata quoq; ex albo in citrinum & naturalem colorem urina, poteris ad libitum prandere. Tandem cum potus tempore varia ſæpe ſymptomata contingant, iis prudenter occurrendum, ne corporis œconomia damnum ſuſtineat. Inprimis vero in principio ſæpe vomitus contingit, idq; magno bibentium commodo. Eo ſiquidem ventriculus vitioſorum humorum ſaburra liberatur. Si vero continuaverit, divertendus erit hic motus ad inferiora Clyſtere aliquo & aliis. Quod ſi perſtiterit, ab aquis prorſus deſiſtendum erit. Si vero eveniat, ut aquæ retineantur nec tranſeant, examinandum probe, in qua parte moram trahant, ut aptis remediis tranſitus iis paretur. Quodſi in ventre remorentur, evacuari poterunt Enemate in eam rem accommodato; Si vero in ventriculo aut corporis habitu retineatur, purgandum erit, & in eum finem conſulendus Medicus. Solent ſæpe aquæ vaporibus in cerebrum elatis profundum ſomnum inducere. Sunt, quin tali caſu caput duplicatis linteis tegere ſuadent, dum aquæ bibuntur, ut caput incaleſcat, atq; ſic apertis cutis poris vapores diſcutiantur. Sed hoc accidens rarum eſt, & ſi contingat, odore Rutæ, & Caſtorei facile tollitur, ut & brachiorum & partium inferiorum frictione. Alios è contra vigiliæ urgent, maxime calido & ſicco capite præditos. Nonnullis urinæ ardor moleſtus eſt, cum aquis non patet tranſitus per inteſtina, unde ad renes

& veſicam iter capiunt, acria ſecum excrementa deducentes. Quoſdam etiam circa ſuras ſpaſmus & laſſitudines infeſtant, quorum omnium, ſi quid accidat, Medici conſilium implorandum. Tandem ne ab aquarum potu optatus earum effectus prohibeatur, proba victus ratio tum in quantitate, tum qualitate, tum & ordine obſervanda. Et certe quod aquæ multis minus vel omnino non proſunt, idipſum intemperantiæ adſcribendum. Imprimis igitur cavendum, ne plus in menſa ciborum ingeras, quam natura conficere queat. Cibus ſit boni ſucci, facilis concoctionis & promptæ diſtributionis. Fugienda omnia ſale affluentia, muria aſſervata & fumo indurata. Nunquam ad ſatietatem edendum. Hinc tritum illud *Italorum* proverbium; *Qui multum edere optat, parum comedat.* Hoc eſt, parum edendo diu vivet, & ſic multum edet. Vitanda quoq; ciborum varietas in una eademq; menſa ob concoctionis inæqualitatem & optimamNaturæ ſimplici diæta ſatisfactionem. Cœna prandio ſit liberalior, quoniam ventriculus veſperi non eſt ita laxus & languidus atq; ideo majorem cibi quantitatem concoquere poteſt. Sit tamen in edendo modus. Alvus ſemper ſit libera. Pro potu utere Cereviſia mediocri, bene defœcata, non nova neq; acida. Sed plura addere nolo, ne Epiſtola in volumen abeat. Et ſufficit generalia indigitaſſe. Nimis enim longum foret, ſingulas diætæ minutias perſtringere. Habes itaq; meam de potu aquarum Thermalium ſententiam, qua

si Tibi à me satisfactum, pro lucro non exiguo putabo. Sin minus, spero, quæ tua est cunctis spectata probitas, à Te meas vires excusatum iri. Vale.

Concil. LXV.

De instituenda proba victus ratione, ad Reverendum quendam Theologiæ Doctorem.

TUum Tibi ab aquis Thermalibus ad proprios lares reditum toto pectore gratulor. Illud saltem male me habet, quod præter Stomachi vigorem nihil, quod sentias, retuleris commodi. Bona semper in bonis habenda & sperandus posthac sensibilior ab iis effectus. Sunt enim aquæ istæ omnium fere efficacissimum remedium, quod inter alia complura, Δοπ'ῳ ἐὼν, qua est munificentia, ad profligandos plurimos morbos, alioquin incurabiles, hominibus benigne concessit. Sed non nisi ex artis lege præparato bene corpore in usum sunt adhibenda, & ea quoq; in cibo, potu, somno & aliis sedulo sunt observanda, quæ observatu sunt necessaria, si quid ab iis commodi speres, nocituræ alioquin. Nec enim ullum quantumvis efficacissimum præsidium, quæ *Erophilus* auxiliares Dei manus vocat, quicquam confert, nisi debitus ei victus in consortium veniat. Utut sit, cum nulla fere sit medicina solutiva,

quæ

quæ non aliquam de viribus & ſubſtantia corporis noſtri partem deprædetur: ſi votis res agetur, autor tibi ſuerim, ut ab iis impoſterum tibi temperes, nec iis, niſi urgente neceſſitate utaris. Inſipientis eſt, quod *Celſus*, Medicorum *Cicero*, monet, in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumere. Interim omnes nervos intendere Te velim, ut genium tuum frugi & proba victus ratione prudenter defraudes. Hæc tutiſſima omnium medicina. Hac ſi curare potueris, inquit *Diogenianus*, proſpera Tibi cuncta ſuccedent. Quodſi vero eam neglexeris, vel *Galeno* teſte, neq; ſecunda valetudo ſervari, nec adverſa commode curari poterit. Habet enim non minimum momenti vel in illa ſervanda, vel hac propulſanda. Nempe ut lampadis ellychnium Olei fomento conſervatur: Sic genuinus humani corporis calor, humiditas, & vires, quæ continua & occulta exhalatione fatiſcunt, ſalubri potus & cibi pabulo conſervanrur; improba vero & inordinata evertuntur & peſſundantur. Nec corpori ſaltem incommodat mala victus ratio, ſed & anima, corporis ergaſtulo incluſa, illiuſq; illecebris irretita, vitiata corporis mole in virtutum actiones libere prodire nequit. Hinc docte admodum, ut cætera omnia, Naturæ genius ille & interpres *Ariſtoteles*, probitatem & mentis affectus à ſanguinis & humorum diſpoſitione dependere arguit, atq; ideo inſecta quædam, apes & formicas prudentia antecellere majora animalia affirmat. Quantum præterea

terea ad morum ingeniiq; culturam recta & proba victus norma conferat, *Galenus*, naturalium arcanorum indagator acerrimus teſtatur, dum bonam victus rationem animam bonis moribus imbuere aſſerit. Arctiſſima ſane conſortii lege anima corpori devincta eſt. Hinc *Plato*, omnis auguſtioris ſapientiæ magiſter, neminem ſponte malum eſſe, ſed ex vitiato corporis habitu atq; inerti ac rudi victus regimine homines fieri malos putat. Anima ſcil. tanta vitiorum lue ex corporis contagione polluitur, ut non alius ſit quam prava mens pravi corporis incola. Scite itaq; *Homerus*, omniſariæ Doctrinæ fons, ſubdolum & fraudulentum *Therſitem*, corpore deformem, his verſibus finxit & perbelle depinxit, dum ait;

Θερσίτης ἀίσχιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε,
Φολκὸς ἦν, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ, οἱ ὄμω
Κύρτω ἐπὶ σήθος, συνοχωκότε αὐτὰρ ὕπερθε
Φοξὸς ἦν κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Hæc ideo à me allata ſunt, ut videar, quanti ſit momenti probam victus legem inſtituere & inſtitutam omni ſtudio obſervare, hoc præſertim ævo, quo pleriq; mortalium vitam in laxu & deliciis *Sybaritarum* moro traducunt, qui *Sardanapali* exemplo malunt vivere ut edant, quam edere ut vivant. Horum in deliciis fere æmuli ſunt *Londinenſes* veſtri, epulationibus & conviviis, *Lacedæmoniis* olim φειδίτια, *Cretenſibus* vero τὰ ἀνδρεῖα nominatis, quod iis vim tantam intereſſent, deditiſſimi, quorum menſæ

non

non tantum omnifario ferculoram apparatu & aromatum illecebra ſunt pollucibiles, ſed & variis ad gulæ voluptates ex frugibus, Saccharatis operibus & ejus farinæ aliis ballariis, quæ in ſecundis menſis, quarum *Iones* perhibentur autores, apponi ſolent, ſplendidiſſimæ. In eam rem nullis ſumptibus parcunt, ut omnis generis lautitias terra mariq; congerant, ne quid ganeæ voluptatibus deſit, *Archeſtrato* edocti, qui, *Athenæo* autore, non minori ſtudio, ubi ſingula edulia optima naſcerentur, in Gaſtrologia ſua expoſuit, quam qui Orbis deſcriptiones & Navigationes aggrediuntur. Videas eos in conviviis ejuſmodi Cœlum, quod aiunt, Terræ miſcere, dum quæ in Terra creſcunt, quæ in Aquis natant, quæq; in Aëre volitant, in una eademq; menſa unum in ventrem coacervant, & quarti Elementi, Ignis loco, Fortia Vina & Aromata iis adjungunt. Qua in re *Auli Vitellii Cæſaris* luxum imitari videntur, qui, *Suetonio* referente, in una patina Sacrorum piſcium Jecinora, Phaſianorum & Pavonum cerebella, Luſciniarum & Phœnicopterum linguas, murænarum lactes, à *Parthia* fretoq; *Hiſpaniæ* per navarcos & triremes petita commiſcuit; & inter alia complura inaudita & maximorum ſumptuum edulia in cœna ſibi apponi curavit. Proh monſtrum hominis! quorum plurimi hoc ſeculo reperiuntur, ventri nati, quem pro Deo habent, cui quotidie ſumptuoſas hoſtias immolant. Hi aures obturant ad omnes de ſobrietatis ſtudio perſuaſiones, ut

jure

jure conqueri poſſis cum *Catone*, populi *Romani* luxum cenſorie coarguente, difficillimum eſſe verba ventri facere, qui aures non habeat. Cum itaq; hoc ævu omni gulæ & intemperantiæ barathro profundius immerſa videantur, quam unquam antehac nec ullus ſit intemperantiæ modus, operæ me precium facturum ſperavi, ſi tibi quæ in victu obſervanda, quæve ſunt fugienda; præſcriberem, ne cum gulæ hujuſmodi proceribus ſobriæ vitæ limites excedendo in eandem cum aliis luxus profuſionem incurras, præſertim cum Deus lares tibi fixerit in Civitate omni luxuriæ genere affluente, ſiquidem ea Te in victu affectare obſervarim, quæ minus probi ſunt ſucci. Nimis longum foret ſingulas diætæ minutias recenſere. Itaq; generalia ſaltem paucis perſtringam. His cognitis de particularibus facile erit judicium. Cibo itaq; utaris concoctu facili, qui bene nutriat & in probum vertatur ſanguinem, quiq; minime ſit excrementoſus, ſed boni ſucci, mediocriter humidus & flatus expers. Elixa aſſis præſtare ſcias. Facilius enim concoquuntur, promptius in corpus diſtribuuntur & humidius præbent alimentum. Nolim tamen ut ab iis prorſus abſtineas, quæ etſi non tam frequenter, concedi tamen poſſunt, præſertim ſi potius interna eorum pulpa, quam exterior ſuperficies, ignis calore torrida ſiccaq; reddita. Frixa craſſum ſanguinem generant non ſine acrimonia, ut & uſta & toſta, ex uſtione igneam qualitatem obtinentia. Pinguia ventriculo

culo noxia & tunicas ejus laxant nauſeamq; parant, appetitum proſternunt atq; concoctionem impediunt, in bilioſis etiam corporibus facile in bilem vertuntur. Carnes macilentæ & extenuatæ duræ ſunt & ſiccæ, concoctioni renitentes & parum nutrientes; Inter has mediæ omnium optimæ. Acida nervis inimica: Dulcia Hæpar & viſcera infarciunt & facile bileſeunt. Aromata acredine ſua, calidaq; & ſicca qualitate jecur & ſanguinem plus quam par eſt excaleſaciunt. Sal, divinus *Platoni* & *Homero* dictus, & omnia, quibus ad gulæ ſaporem Sal cæpit tabeſcere, quæ mari & ſalſilagine condita & fumo ſunt indurata plane ſunt noxia. Nativa enim eorum humiditas abſumitur, unde ſubſtantia eorum condenſatur & induratur, quo nomine coctioni reſiſtunt, inidoneum præbent alimentum, melancholicos affectus inducunt & ſanguinem inficiunt. Jurulenta ubertim ingurgitata fluctuationem & cruditatem faciunt. Ex animalium carnibus vetuſtorum dura eſt, ſicca, viroſa, nervoſa, ſtomacho moleſtiam creans, pauciq; & pravi alimenti. Tenella ætas humidiore quidem ſucco tenerioreq; pulpa referta eſt, ſed & mucoſa, mollis, atq; excrementis abundans, facilius tamen concoquitur & alvum fluidam reddit. In ſaginatis omnibus multa cruda humiditas colligitur. Caſtratorum carnes teneriores, ſapidiores & concoctu faciliores. Omnes carnes calidæ & humidæ ſunt, abſolute conſideratæ. Generantur enim ex ſanguine calido & humi-

do.

do. Bovina tamen respectu aliorum animalium sicca est & dura, concoctu difficilis & alvum sistens, sanguinem procreat sicciorem & melancholicum, firmum tamen præbet alimentum. Vitulina temperata sed humidior, boni succi, concoctu facilis, sanis & ægrotantibus conveniens. Vervecina annicula aut bimula omnium optima & temperata, facile concoquitur & est vaporosa, ut *Sanctorius* loquitur. Perspirat enim noctis spatio trientem libræ magis, quam cætera solitaq; edulia. Huic inferior est ovilla, mali succi & excrementitii, difficilis concoctu ob substantiam viscidam & lentam partusq; frequentiam. Agnina recens nata multa excrementitia humiditate scatet, mucosa & pituitosa. Adultior vero optimum præbet alimentum & facile à ventriculo conficitur. Suilla, *Jovi* dicata, à qua immolationis initium, in activis temperata est, in passivis humida, magnam cum hominis carne affinitatem habet, ut *Parisiis* quondam scelerati quidam pandochei & cauponus carnem humanam cum aromatibus in pastillis coctam pro suilla magni vendiderint. Hæc vero valentissime nutrit, si modo concocta fuerit. Crassum & lentum habet succum & ideo nutrimentum præbet firmum ac durabile, quod dissipari facile nequit. Nec enim perspirat ipsa facile, nec permittit alia edulia simul ingesta perspirare, *Porcellorum*, quos *Græci*, dum sant lactentes & adhuc subrumes, χοίρους, die vero à partu decimo *Sacres* nominabant, quod tum ad sacrificia idonei

nei eſſent, & amiſſo nomine lactantium *Nefrendes* quoq; appellabant, quoniam nec dum fabam frendere poſſint; horum, inquam, caro ob viſcidos & crudos ejus humores ab *Hippocrate* improbatur. Minus nutrit ſuilla, & facile quidem ob tenuitatem ſubſtantiæ diſtribuitur, ſed & prompte diſcutitur. Ferina omnis ſicca eſt, dura & craſſa, ſanguiniſq; melancholici parens. In volatilium genere *Gallinarum*, pullorum gallinaceorum, caponum & gallorum *Indicorum* juniorum carnes temperatæ ſunt & humidæ, concoctu faciles, boni ſucci & multum nutrientis. Si vero veteranei ſint, duræ, nervoſæ, macræ; glocientium & incubentium, damnantur. Pulli columbini inter cupedias habentur & optime concoquuntur, ſuccum generant neq; craſſum neq; tenuem, ſed inter hos medium. Anſerum caro calida eſt & humida, craſſa, concoctu difficilis & excrementitia, ut & Anatum. Omnia enim quæ humida & paluſtria incolunt loca, carnes habent humidas & ſuperfluitatibus plenas. *Sylveſtres* melancholicum ſanguinem generant. Montanæ aves optimum ſuccum generant, bene nutriunt & excrementorum minimam copiam obtinent. Ex piſcium cenſu probantur ſaxatiles, *Græcis* πετραῖοι dicti, inter maritimos ſcopulos alti & capti, ab undis agitati motuq; continuo ſicciores redditi, qui ſunt ſquamoſi, carnem teneram & friabilem habentes. Alimonia ex his non modo concoctu facilis, ſed humanis quoq; corporibus ſaluberrima. Sanguinem

enim ſubſtantiæ conſtitutione mediocrem ge nerant. Qui vero in paludibus & ſtagnis, in limoſis, ſordidis atq; graviter olentibus aquis degunt, inſaluberrimi ſunt. Nam minus natant,aereq; & victu deteriore utuntur; præſertim ut *Galenus* notat, qui in aqua vel fluminibus populoſarum urbium hominum ſtercoribus & pravis id genus ſuccis victitant, peſſima his caro eſt, quæ comeſta corporis noſtri alimoniam conſpurcare ſatis eſt. Hi difficile concoquuntur & magnum faciunt excrementorum proventum & *Arabum* judicio cæcitatem inducunt. Cancri, oſtreæ & oſtracodermata glutinoſas habent carnes & concoctioni rebelles. Arborum & Plantarum fructus pleriq; corruptioni & putredini ſunt obnoxii. Horarii crudos & malos ſuccos generant,quemadmodum & legumina ac olera,ſunt quoq; flatulenta. Bulboſa flatibus turgent, ut radices fere omnes. Acrumina, ut cœpæ & ſimilia, acri ſuo ſucco ſanguinem & jecur inflammant & propemodum adurunt. Lac omnium fere alimentorum eſt præſtantiſſimum, facile concoquitur & levi negotio in ſanguinem vertitur; ſufficienter alit, corpus roborat & impinguat & alvum emollit. Eſt tamen fumoſum, capiti noxium, ſtomachum cum inteſtinis inflat & facile corrumpitur. In ventriculo etiam pituitoſo facile acceſſit, in bilioſo vero nidorem contrahit. Butyrum calidum, ſed magis humidum, nutrit, impinguat, ventrem laxat. Nimius illius eſus ventriculi tonum diſſolvit,

nauſeam

nauſeam parat, appetitum aufert, in calido etiam ventriculo facile accenditur & in bilem mutatur. Caſeus multum alit, ſed ob caliditatem & ſiccitatem concoctu difficilis eſt, male diſtribuitur, alvum conſtringit, mali ſucci eſt; & ſi forte in corpore fuerit excalefactus, facile atrabiliarium humorem generat, præſertim antiquus. Moderata tamen ſalis conditura hæc caſei incommoda corriget, quæ humorum lentorem incidit, nervoſum ventriculi os roborat, appetitumq; languentem acrimonia ſua excitat, nauſeamq; ſiſtit. Sed de his ſatis ſuperq;. Cæterum cum non ſatis ſit ad valetudinem, probos cibos ingerere, niſi in iis aſſumendis modum & ordinem obſerves, regulas quaſdam annotabo, quibus obſervatis inconcuſſa valetudine uti poteris. Ac primo quidem cum jejunia ſtomachum malis repleant humoribus, *Hippocrates* quoq; ſemel tantum in die cibo indulgere corpus emaciare, exſiccare & alvum ſiſtere, *Apollonius* quoq; affirmat, eos eſſe acerbioribus moribus, quam qui bis ſe victu frugal reficiunt. Quin & huic mori aſſueti plus una vice ingerunt, ut ventriculo, famelico longo jejunio, ſatisfaciant, quam vires ejus conficere poſſunt, unde calor naturalis congeſta alimentorum copia, ut ligna, coacervata lignorum ſtrue, ſuffocatur, & virium robur imminuitur & alia mala inſequuntur. Ut ellychnium lampadis frequentem exigit olei ſuffectionem, quam ſi confertim affuderis, ellychnium extinguetur: Sic & ventriculi calorem ciborum copia ſup-

primes. Præſtat ſane cibum partire & bis in die aſſumere. Hic ab omnibus fere gentibus recte inſtitutus fuit uſus atq; à celeberrimis tum *Græcorum* tum *Latinorum* Medicis approbatus. *Hæbrei* bis cibo & potu, frugali tamen, reficiebantur, quem cibi aſſumendi morem *Medos* quoq;, *Perſas* & *Aſſyrios* obſervaſſe autor eſt *Valerius Maximus*: & *Celſus* victus normam præſcribens, bis die potius, quam ſemel cibum in ſanis hominibus, & hunc quidem plurimum, modo concoquant, ſumendum conſulit. Sciens utiq; ex copioſo nutrimento rite confecto virium robur, firmamq; valetudinum parari, Satius ſane eſt, in ſingulis paſtibus cibum imminuere, quam poſt lautas epulas longum jejunium exercere. Menſæ tamen non ſint æquales, ſed cœna levior. Plerumq; enim de uberiori cœna ex ventriculo crudo exhalant & per ſtudia & negotia ſtatim à cibo ſuſcepta attrahuntur ad caput vapores & fumi craſſi, quos cerebrum, quia nec arcere adventantes nec diſſipare receptos poteſt, jure hoſpitii retinet, qui facile in humores condenſantur & poſtea in ſubjectas partes deſtillant. Inter unam vero & alteram menſam, nullus cibus & potus qualiſcunq; etiam ingeratur. Quodſi enim cibus aſſumatur priori nondum concocto, male concoquetur, unde cruditates morborum nutrices. Ut enim ſi ad focum calefacias aquam & jam ſorventi infundas frigidam, rurſus extinguetur calor; ita turbatur concoctio, cum rurſus cibi & potus ingeruntur crudi. Id quod tibi probe notandum,

notandum, qui ſæpe incocto cibo *Choavæ* decocto uti ſoles. Intercedat autem inter prandium & cœnam ſeptem ad minimum horarum ſpacium. Quodſi tunc temporis aliquam adhuc perceperis gravitatem & nullus fuerit cibi appetitus, optime valetudini tuæ proſpexeris, ſi cœnam horam unam vel alteram prorogaveris, vel omnino omiſeris. Inter comedendum cibus optimo dentibus comminuendus & alterandus, ne ventriculo labor inferatur & flatus procreentur. Quod malum iis accidit, qui velociter ingerunt cibum & ſemimanſum deglutiunt. Advertas præterea, ne plus cibi ingeras, quam ferre poterit ventriculi & caloris naturalis robur. Nunquam itaq; ad ſatietatem comedendum, ne nimia alimenti mole innatus calor impediatur &, ſubinde generentur cruditates, omnium fere morborum ſeminaria. Qualis vero quantaq; menſura ciborum eſſe debeat, recte ſcribit *Avicenna* his verbis, *Ea*, inquit erit cibi recta menſura, quæ cum ingeſta fuerit, gravitatem non adfert, in ventriculo non natat, nauſeam neq; ructus commovet, torporem non induſit neq; mentis hebetudinem facit. Ideoq; cibi quantitas mediocris & ſecundum concoctricis facultaris robur eſſe debet. Et ſi quid nimia menſa peccatum, ſequentis pariſimonia corrigatur. Nec parum incommodi adfert ſanitati varietas & plurium eduliorum in una eademq; menſa apparatus, τὸ πολυτελὲς δ διαίτης, Baſilio luxuriæ ſupplicium & flagitiorum obſonium ſcite nominatum. Hinc

Galenus

Galenus, ſcias inquit, multiplices cibos, & præſertim facultate diſſimiles, magnam progignere in ventriculo confuſionem & coctionem turbare. Et *Avicenna* dicit, nihil deterius eſſe, quam diverſa nutrimenta ſimul adjungere & comedendi tempus prorogare. Præſtat itaq; in conviviis ex multis quæ apponuntur eduliis, unum aut alterum, quæ cæteris meliora ſapidioraq; fuerint eligere, & cætera aliis relinquere. Uno cibo, eoq; ſimpliciſſimo contentum eſſe, maximum eſt ſanitatis præſidium. Sic enim animus tranquillior & obfirmatior erit, ſi forſan morbus opprimat corpus, cum ſpiritus puriores in ipſo morbo vigent, & melius de rebus neceſſariis cogitat, eaſq; perſpicit, quam cum integra ſanitate perfruitur; præſertim ſi Spiritus non turbetur potu. Mirari ſæpe ſubit, quod cum bruta uno cibo famem replere queant, homines non poſſe. Inter cibos molles & liquidi ſint prodromi, humidi & qui facile in ventriculo corrumpantur, quiq; cæteris facilius concoquuntur, durioribus præmittendi. Hi enim longiori coctione egent. Potus ſit cibo commenſuratus nec ſuperet alimenta ſicca, ut cibus non innatet ventriculo, quo poſtea fiat, ut inde vapores caput petant. Matutinus fugiendus. Solent enim æthereo *Apollinis* & *Veneris*, *Solis* pediſſequæ, nec non *Mercurii* ſpiritu & radiis, qui mane noſtrum obtinent Hæmiſpherium, non tantum alia ſublunaria, ſed & ingenii vires illuſtrari, quæ inſtar nebulæ obrepentis à vaporibus ex potu matutino

no in ſacram Palladis arcem elatis miro modo obfuſcantur; ita ut nec ſtudiis ſedulo incumbere, nec ſerio quicquam meditari poſſis; quin & potus matutinus, quem pleno poculo, ut utriq; oculo lavando ſufficiat, abſorbere ſolent, ventriculum humiditate ſua laxat, unde tonus ejus deſtruitur. In eum finem fugiendæ quoq; ſunt commeſſationes. Alvus indies excrementa deponat. Cum licet, per pedes ſemel quotidie corpus exercitio incaleſcat. Somnus octo horas non excedat, nec ſeptem ſit brevior, diurnus omnino fugiatur. Vitandi animi affectus & curæ prudentiæ freno moderandæ: Sed de his ſatis ſuperq;, *&c.*

F I N I

ERRATA.

PAg. 4. l. 1. lege *chalybeatum.* l. 28. *Alni.* p. 36. l. ult, *ſtadii.* p. 111. l. 28. *ſucco.* p. 246. l. 6. *ob humiditates.*

MVSEVM
BRITAN
NICVM